

HIERONYMI RORARII

EXLEGATI PONTIFICII,

Quòd Animalia bruta ratione vtantur meliùs Homine.

LIBRI DVO.





PARISIIS,

Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis & Reginæ Regentis Architypographum: ET GABRIELEM CRAMOISY. viâ Iacobæa, sub Ciconiis.

M. DC. XLVIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.





AMPLISSIMIS
& integerrimis viris
PETRO ET IACOBO
PVTEANIS
FRATRIBVS
CLAVDII FILIIS.

GABRIEL NAVDÆVS S.P.D.

CVM in procinctu essem ut ex Italia reuerterer, in quam vestro, Clarissimi Puteani, munere, cum optimo S.R.E. Principe Ioanne Francisco à Balneo decennium ante, profectus fueram; nescio quo ca-

ſu, ſed optimo tamen, mihique gratiſsimo contigit, vt in hunc Hieronymi Rorarij manuſcriptum codicem inciderem. Et ſane cùm viderem illum, non ſermone modò, qui caſtigatus omnino, nitidúſque foret, ſed præcellenti quadam ſenſuum dignitate exaratum eſſe, exiſtimaui propterea nihil me, aut voto meo iuuandi bonas artes, aut ſapientum hominum deſiderio conuenientius facturum, quàm ſi eum in Gallias mecum deferrem, & typographorum opera publicæ luci, atque libertati vindicarem. Hoc autem dum in præſentia facere contendo, ea quoque ſubiit animum meum cogitatio, vt in procuranda illi magni nominis,

& contestatæ auctoritatis tutela, à vobis, Nobilißimi Viri, non discederem, quos doctrinæ cultioris studium, incredibilis in literatos omnes propensio, vitæ vrbanioris obseruatio, amicorum clientela, principum fauor, populorum amor, omnia denique laudum & commendationum momenta, toti Europæ mirandos floris instar Galliæ delibati, suspiciendósque reddunt. Neque profectò vereor, vt ista de vobis prædicatione fucum veritati fecisse videar, qui testes dictorum meorum habere possum viros illos percelebres, omnique virtutum & gratiarum choro insigniter dotatos, quibus ab annis ferme triginta, liber semper in

Museum vestrum patuit aditus: scilicet vt liberalis otij delitias in eo perciperent, & confabulationes simul miscerent, quibus non potest qui semel interfuit, se nullis vnquam aut honestioribus, aut eruditioribus, aut etiam iucundioribus interfuisse, non fateri. Ad me certè quod attinet, ita sermonibus illis afficior, sic me suauißima vestra consuetudo rapit atque delectat; tam altè in mentem meam insinuat libertas illa Philosophica; tantùm denique mihi arridet, Academicorum vestrorum coniuncta cum incredibili doctrina, nobilitatisque opinione, modestia, vt

Si me fata meis paterentur

ducere vitam
Arbitriis:

huic ego vitæ conditioni, quæ me à vobis nunquam diuelli pateretur, omnem aliam posthabere, quantumuis splendidam, & omni bonorum genere cumulatam minimè dubitarem. Verùm postquam mihi sors ita cecidit, vt quietis loco de longinqua peregrinatione cogitandum sit, tum demum hanc ipsam minori cum molestia aggrediar si Rorario viro certè nobilißimo & sapientißimo vices meas obire, vestris illis in congreßibus quotidianis, concessum fuerit, eúmque non secus ac meipsum loquentem audire, & complecti beneuolentia vestra velitis.

Quemadmodum ſanè vos pro innata veſtra in res omnes egregias, & minimè vulgares propenſione facturos eſſe nullus dubito. Dabam *Pariſiis* V. *Id. April.* MDCXLV.





Reuerendissimo, ac Illustrissimo Domino D. ANTONIO, *Episcopo Atrebatensi, Cæsareæ Maiestatis Consiliario.*

SCRIPSERAM libellos duos, in quibus ostenderam Animalia bruta sæpe ratione vti meliùs Homine; idque feceram, vt quorundam impudentiam, anne potiùs dementiam retunderem: qui maximi omnium Imperatorum Caroli Quinti splendorem intueri non valent. Quàm id perperam, declarat quod nunc gessit, bellum cum Germanis Deo & Principi suo rebellibus: in quo gerendo fatentur hostes ipsi virtutem bellicam, ærumnásque omneis superasse, quas alij quotquot fuerunt, vix

adiisse si viuerent, gloriari possent. Qui verò ab ægritudine soluti, rem rectè perpendunt, meritò dignum iudicant, non qui Christiani duntaxat, verùm totius Orbis Imperium teneat: tantóque magis, quòd non libidine dominandi tractus, verùm sola pietate ductus, id bellum adortus est: vt perturbatæ Religioni Christianæ consuleret, & labenti Pontificiæ dignitati capitis sui periculo succurreret. Hos autem legendos ad te mitto, eruditissime Antistes, vt lætere illustrem parentem tuum, qui summis apud Cæsarem consiliis præest, non aliena mente fuisse ab hac gloriosissima expeditione capessenda: quæ æternum eius Maiestati nomen pariet, nobis salutem extinctis communibus hostibus, qui publico commodo

aduersabantur, dum arma victricia Turcis inferri prohibebant, dum hæresibus fauebant, Turcis longè infestioribus. Turcæ siquidem in corpora sæuiunt, & corpora alioqui peritura: obstinatæ hęreses immortalibus animis nostris æternæ mortis laqueos nectunt. Ex Portu Naonis Calendis Martiis MD. XXXXVII.





Reuerendissimo, ac Illustrissimo Domino D. CHRISTOPHORO MADRVTIO Cardinali Episcopo, & Principi Tridentino ac Brixinensi.

ERAM, *Illustrissime Princeps, paucis antè diebus : vbi de Cæsare sermo habebatur, & fuit doctissimus alioqui vir, qui diceret nescire quo odore olens Christianum orbem ditionis suæ facere niteretur. haberet in se saltem quo cum Othonibus, aut Federico Ænobarbo conferri posset, mouit (fateor) mihi stomachum, dignum immortalitate Principem illis postponi : qui licèt insignes fuerint, si tamen in vnum omnes congerantur, huius magnitudini non sufficiant. itaque in mentem mihi venit animalia bruta sæpe ra-*

tione vti meliùs Homine, idque duobus libellis oſtendi. quod quoniam ex aliorum contentione magis, quàm ipſum per ſeſe cognoſci, atque intelligi poterat: coactus Hominum, & Belluarum exempla contuli, in quibus recenſendis nemo mihi priùs, quàm ſibi ſuccenſuerit, memor haud ægrè ferre debere à me dicta quæ ipſum facere non puduerit. Tibi verò nominique tuo dicatos afferet Claudius filiorum meorum natu ſecundus: cùm quia in his auunculi tui, amantiſſimi mei, ſit mentio: cui tu virtute ac dignitate ſucceſſiſti: tum quòd filiolos meos ſic inſtitui cupio, vt paternis veſtigiis ambulantes, illius defuncti memoriam colant, tui viuentis ſeruitutem ſeruiant.





HIERONYMI RORARII

QVOD ANIMALIA BRVTA *ſæpe ratione vtantur meliùs Homine.*

LIBER PRIMVS.



ROFICISCEBATVR Neapolim accitus à Carolo Quinto Bernardus Cleſius Cardinalis Tridentinus, ob eximiam probitatem vtrique Cæſari, Carolo, & Ferdinando gratus; cum hoc, mihi vetus, & amoris plena intercedebat familiaritas; itaque cùm priuatum negocium cum Cæſare haberem, non iniucundum comitem me dedi: perueneramus Velitras vigeſimo ab vrbe lapide, ibi poſt cœnæ tempus, recreandi animi cauſa (& erat Cardinalis omnium horarum vir) admiſſus

Circitor, canem introduxit, qui per rotas exilire, variósque motus ad nomina peragere didicerat, sed hæc & id genus cum aliis communia; illud singulare, quòd cùm Circitor è sinu libellum extraheret musicis notis depictum, canis ad genua exiliens, canentem sectabatur, voce nunc acuta, nunc graui, modò continuato spiritu in longum tracta, modò inflexo variata. Hæc spectantibus risum, mihi stuporem inducebant: tam docile animal, quòd ostensa meminisset, & qua posset arte imitaretur, magnum, & admirabile; verùm etiam num admirabilius, quòd inter eorum cœtus, quos nunquam viderat, secerneret vel ludi, vel vini auidiusculum, nec aberraret vnquam; inesse profectò aliquid, quod in homine diuinum, in bruto nefas est dicere: quando quasi physiognomon aliquis sciret hominum naturas noscere. Tunc Cardinalis in me conuersus, En, inquit, tibi Rorari, quem tu prædicas Bononiæ florere Arciuidam: scio, inquam, haud multum probare te, quæ soleo de Arciuida constanter affirmare: quæ plerisque omnibus nota, mihi quàm notissima sunt;
an

an negas quasdam homini notas affixisse Naturam, quædam lineamenta; quibus quid in nobis sit, quidve futurum, peritus coniiciat; nec solùm hæc nostra, sed quæ nostratia sunt: celeres parentum, immaturos filiorum obitus, molles vel duros fortunæ successus. Ergo, inquit, verum esse in astronomicis statuis; quod tuus laudatus M. Manilius cecinit,

Fata regunt orbem; certa stant omnia lege;
Longáque per varios signantur tempora cursus.
Nascentes morimur: finisque ab origine pendet.

Immo, inquam, ab ea sententia, tam me veritas ipsa, quàm religio nostra auocat; quippe si cogerent sidera; neque fures iure laqueo, neque homicidæ gladio plecterentur; rursus fato functi, malè actæ vitæ pœnas iniquè subiremus: bene actæ præmia indignè adipisceremur. Quid ergo, inquit, hæ tuæ notæ, & lineæ afferunt? nempe inquam: quod apud Gellium disserit Phauorinus philosophus: qui siderum vim comparat excelso atque decliui monti, vnde si la-

pidem ieceris, isque rotundus fuerit, monte ad præcipitium inducente, ad ima labetur; contrà si quadratus fuerit, alicubi consistet, forma sua retardatus: non secus arbitratur hominem, etiam quòd Natura ad hoc agendum, ad illud patrandum inducat: non tamen cogere, quin ratione, quæ potissimùm in homine imperat, ab iis abstinere queat, quæ infelicitatem afferre cognouerit. Dedit enim nobis summus rerũ opifex, animi, cui corpus paret, liberas habenas; possúntque vitia, ex naturalibus causis orientia, voluntate, studio, disciplina extirpari, & funditus tolli; quod ita esse, ex illo Socrate constat, qui primus è cœlo philosophiam deuocasse, & inter homines constituisse dicitur, cuius è facie cùm Athenis in foro Zopyrus Arciuidæ haud dissimilis, multa probra notasset, & rideret quasi delirantem, audientium corona: risus compescuit Socrates, naturam asserens ad ea se genuisse: rationem, nequid istiusmodi admitteret, deterruisse. Hinc Stilponis sectatores magnæ laudi præceptori suo tribuebant: quem ebriosum & mulierosum natura fecerat, & nemo tamen

ebrietatis, nemo libidinis vestigium in eo viderat. Cur, inquit, dixisti rationem, quæ potissimùm in homine imperat? putásne rationem in belluis itidem inueniri? hęc inquā opinio diu me torsit, rationem sępenumero meliùs in belluis, quàm in hominibus reperiri: nihilque prorsus nobis inesse, quod non iisdem natura largita sit: non dico vniuersa singulis, nam neque nobis omnia; hic prudens, ille simplex, & omnino rudis; hic laudis, & gloriæ cupidus, ille somno, & ignauiæ deditus,

Dij immortales, ait Comicus, *homo homini quid præstat*:

Stulto intelligens.

Inuenies etiam, quibus præter figuram oris nil hominis sit: quales apud vos Germaniæ Principes, qui istiusmodi monstris delectamini: quos diuinus Vates veriore vocabulo iumenta appellauit, quia parum ab eis distent. Huius autem sententiæ non ego auctor, sed Plutarchus Cheronæus, veruntamen hic auctor: vt qui eruditione, ingenio, exemplorum copia reliqua assequitur: id vnum (pace tanti viri dixerim) non consequatur: dum nostros in mores, no-

ſtrámque naturam, inuehendi deſiderio magis, quàm veritatis indagandæ ducitur: quid enim in rem facit, feras hominibus fortiores eſſe, quia ſine dolo, ſine fraude dimicent, præliiſque potiùs immoriantur, quàm vt animum deſpondeant? aut temperatiores, quoniam Cornix nouem ætatibus vidua perſeueret? hoc ſi quis pro comperto habeat, quod habere tam diuturno annorum curriculo non poteſt: fatebimur, à natura Cornici datum, vt amiſſo pari, alterum non admittat, ratione fieri negabimus; rurſus in vulnera ruere, non eſt ratione vti, ſtolidum illud robur, non fortitudinem appellabimus. Nam cùm contemnendæ mortis varij modi ſint, varij exitus: non omnes fortitudinis præclaro nomine dignabimur. Fortes non ſunt, qui alicuius deſiderij potiundi ſpe, priuati, aut calamitate oppreſſi, manus ſibi intulerunt, qualis paucis annis antè Philippus Stroſſius opibus florens, literis non ineruditus, cætera felix, ſi ſua ſorte contentus, partibus aduerſis non fauiſſet, de quibus intellexiſſe videtur Virgilius,

Proxima deinde tenent mæſti loca: qui ſibi lethum

Insontes peperere manu, lucémque perosi
Proiecere animas; quàm vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores.

Non etiam fortes, qui sapientiam adeptos se falsò putantes, eam extrema dementia denudarunt, qualis ille, Horatij,

Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam
Insiluit.

Cuius stultitiæ æmulus Antonino Vero imperante, apud Pisas Philosophus, rogum suis sibi manibus extruxit, in quem viuens, valénsque insiliret; quicunque tale aliquid egerunt, intrepidè, non fortiter egisse dicuntur. Fortis fuit Lucretia Romana quæ vim passa, animum culpa, corpus peccato non liberauit: fortior ætate nostra superioris Pannoniæ nobilis Virgo, à Turca rapta, virginitatis florem redemit, edocendi graminis pacto, cuius succo corpus impenetrabile redderetur, periculúmque facturo, herba, quæ fortè obuenerat, de-

linitum iugulum, gladio metendum præbuit, mallens honesta morte occumbere, quàm contumeliam pati: fortes, qui pro salute patriæ mortem oppetiere; & ne in singulis laborem, fortes fuerunt qui cum gloriæ alicuius spe mori, quàm cum futuri dedecoris suspicione, viuere maluerunt, quorum multa apud Græcos, non pauciora apud Romanos exempla suppetunt. Harum omnium fortitudinum expertes esse feras, credere libet; quis enim in brutis animantibus mortem contemnentium causas indaget? vna superest eorum, qui seruituti mortem præferunt, quo in genere, Feras excellere censet Plutarchus, & hominibus idcirco præstare, rectè, an perperam, aliorum iudicio relinquo; non enim eo pacto fortis fuisset Iulius Cæsar, non, qui nunc regnat, Franciscus Gallorum Rex, à piratis alter, alter ab Hispanis in captiuitatem ductus, qui ambo non morte, sed auro à seruitute in libertatem se vindicarunt. Sequamur & nos tantorum Regum exempla, sequamur Homerum laudantem Vlyssem certandi, & cùm opus fuerit, fugiendi peritum: nec belluas ista glo-

ria interim fraudemus; quin aduersus Plutarchi sententiam ostendamus, quęcunque homini extrinsecus eueniunt, belluis pariter accidere : præterquamquòd alienæ gloriæ non inuident, non discordias serunt, non aliena felicitate macrescunt; vnde fit, vt multarum ægritudinum pondere liberatæ, acutiùs cernant, æquiùs perpendant, benigniùs sibi, & aliis consulant. Elephantes, qui reliquis robore præstant, non ad mortem obstinati perdurant, quin vincenti, terram, & verbenas in victoriæ confessionem, & seruitutis signum porrigunt. Cn. Pompeius, qui ob virtutem Magni cognomen meruit, Veneri victrici templum dedicaturus, viginti in Circum induxit elephantos, in quos Numidæ iacularentur; qui cùm se telis impeti cernerent, nec fugæ spem superesse, ad preces versi inenarrabili habitu populi misericordiam implorauere; aduertis, non omnes belluas, neque semper, seruituti mortem præferre : & agnouisse preces, ac oblatam lamentationis speciem, ad impetrandam misericordiam valituras: quando nil mortalium magis proprium esse debet, quàm misereri, &

parcere, quorum acta in cinerem rediguntur, cogitatus in auram euanescunt. At non hæc à feris meditata ratio, illos à crudelitate auocauit: qui in vario, & nouo tormentorum genere delectati sunt: quíque in vlciscendis, quibus iure, vel iniuria irascebantur, oculos pascere iactabant. Huius qui rerum apud Turcas potitur, atauus, si quos è captiuis, seruituti inutiles audisset: imperabat palo per posticum in intimum corpus adacto, in sublime erigi, & cibo, quem petiissent ali, vt diutiùs inter vitam, & mortem cruciarentur; & hic erat homo, qui (vt ait Terentianus Chremes) humani à se nihil alienum duceret. Turcam dices, & in hostes, at captiuos hostes, nec hic sæuiendi finis, idem in suos erat. Memoratur Bizantij in hortis, quos in delitiis habebat, cum tribus pueris ambulando, aduertisse citri pomum decerptum, quod in prima deambulatione pendere viderat, furtum negantibus, imperasse pectora diuidi, & nisi in primi, cui lethalis sors contigit, stomacho, pomum inuentum fuisset, idem erat reliquis duobus supplicium ferendum.

Ira furor breuis est: animum rege: qui nisi paret,
Imperat, hunc frænis, hunc tu compesce catena.

Quod aliud frænum, quæ alia catena defuerat, quàm ratio? sed non rationis expertes leones sunt, qui vbi iracundia premit, in viros potiùs, quàm in fœminas sæuiunt: in infantes nunquam, nisi magna fame. Vitoldus Lituaniæ Dux, non subito furore ictus, quin voluptate potiùs, (si quis modò tam barbarus, & tam immanis, qui voluptatem in atrocissima re capiat) quos capitali pœna dignos iudicasset, vrsorum pellibus inclusos, à veris vrsis lacerari iubebat; itaque audita quisque damnatione sua, laqueo, aut quouis alio mortis genere, vitam libentiùs finiebat. Fuit mihi Cracouiæ relatum, dum Pauli tertij oratorem agerem (horret animus dicere, & inuitus talia de illa natione refero, quæ præterquamquòd me summis honoribus affecit, & amplissimis muneribus donatum dimisit: ea morum ciuilitate præstat, vt obliterato Satyrico carmine,

Vltra Sauromatas libet hinc fugere:

cum ipsa Italia contendat) dicam ta-

men: quando nec aurum sine fæce reperitur. Memorabant latronem fuisse ex iis, qui viatoribus insidiantur, qui seruantem gregem puellam adortus, cùm ob ætatem virum ferre nequiret, indignatus non posse importunam libidinem explere, alterum pedem arbori deuinxerit, alterum equi posteriori pedi, lacerámque duas in partes dimiserit, quos putas luctus, quas preces infelicem fudisse, & auersa tamen rationi hominis mens stetit. Leoni contrà, obuia facta in syluis, captiua Getuliæ mulier, cùm se supplicem exhibuisset, fœminam infirmam, profugam, indignam præda animantium omnium generosissimi, & qui cæteris imperaret, inoffensa discessit: & hos rationis expertes, illos participes esse dicemus? verùm fuere barbari, fuere grassatores, innocentum sanguine pasci soliti: non barbarus, nec in syluis grassando, sed Italicus in vmbra, & deliciis viuendo educatus, Antonius Otho Montis Pheretrij Comes, puerum, quo à cubiculo vtebatur, pice, atque sulphure perfuso linteo inuolutum, viuum ardere iussit, quia ad præfixam horam candelam non attulis-

ſet, dignam mehercle cauſam, cur tam immaniter fureret! dignum Principem, qui alteram humani generis facem Neronem imitaretur, qui cùm inſano incendio, ex quatuordecim Vrbis regionibus, vndecim abſumpſiſſet, nec Populi Romani odium extinguere poſſet, vertit in inſontes, mentitus auctores incendij, fuiſſe Chriſtianæ religionis tunc pullulantis pios cultores, mandabátque ferarum tergis contectos, à canibus laniari, crucibus affigi, capite truncari: inter quos Petrum Apoſtolorum Principem, & Paulum illum electionis vas; alios ſuo Circenſi ludicro addictos, quod habitum aurigæ indutus exercebat egregius Imperator, iubebat in luminis vſum vri, & præbere lucem prætereuntibus; quos glorioſos Martyres, fœdus Satyricus vitiorum doctor magis, quàm cenſor ſuo carmine perſtrinxit,

Pone Tigellinum tæda lucebis in illa,
Qua ſontes ardent, & fixo gutture fumant.

Fuit vlla fera truculentior Ecelino? qui quanquam atauum referebat Germanum; in Italia tamen natus, Patauino-

rum indigena, crudelitate cum Phalaride certauit; aut qui eum superare etiam contendit, Ansidisius Patauinæ vrbis præfectus, ædificato in Citadellæ oppido carcere, quem eorum, quorum opes emungebat; quósque odio persequebatur, affinium, & amicorum turba replebat, nec nisi quater in anno purgari sinebat, non excrementis, non aliis immunditiis, non denique cadaueribus illorum, qui omnibus necessitatibus macerati, intolerando insuper fœtore conficiebantur: horum sub crudelissima tyrannide puberes mutilati, pueri concisi, virgines vitiatæ, matronis mammæ ademptæ, prægnantibus vteri exe-cti, partus flammis dati. Et ambigimus adhuc auferre rationem homini, & illam belluis dare. Gandauum Belgarum ciuitas, huius inuicti Imperatoris natale solum, Leonem alit generosis insignem iubis: Is oblatum in cibum paruulum canem non offendit modò, verùm etiam conuiuam adhibuit; euenit semel, caueam mundantis incuriâ, ferreos cancellos recludi; egressus leo toti ciuitati terribilis fuit, succurrit eiusdem, qui culpam admiserat, solertia;

capto namque & auribus torto cane, ad dolentis vocem reuocauit leonem ætati opitulaturum, in quam homo tam crudeliter grassatur. Elephanti pari modo imbecillium curam gerunt: minùs valida pecudum occurrentia manu dimouent, nequid imprudenter obterant, nec nisi lacessiti nocent. Dices istos, quos recensuimus, singula sæuitiæ monstra fuisse; quid illa diritas ab vniuersis Taurisanis eodem Ecelino extincto repræsentata? sex eius fratris filij subito populi incursu interfecti: vxor in frusta dissecta, filiæ viuæ in ignem coniectæ. Non crudelia minùs, quæ Pisani generis Italici dedecus exercuere, ardente cum Florentinis bello, suspicione ducti Vgolini Gerardeschi exercitus Ductoris consensu, nonnulla castella amisisse; inflammante Archiepiscopo Rinerio, qui tumultus sedandi, & compescendæ iræ auctor esse debuerat: captum Ducem cum quatuor filiis, quorum nullus puerilem exuerat ætatem: turri, quæ nunc etiam famis cognomen seruat, incluserunt: proiectisque in flumen clauibus, sæuissimo omnium supplicio vitam finire coëgerunt: quid paruuli merue-

rant, etiam ſi pater proditionis reus conuictus fuiſſet? à cuius ætatis iniuria irata bellua abſtinet: itaque minimè mirum, ſi iuſta Dei vindicta, qui terra, qui mari, longè latéque imperitabant, ne quidem vlnam ditionis tenent, cunctis execrabiles facti. Poteſt venia Reip. Venetæ dari eorum quæ in Ducem ſuum Petrum Candianum egerunt, nulla quippe Reſp. crudelitatem magis aſpernata, & quod tunc fecit, ſuperbi dominatus odio, & recuperandæ libertatis deſiderio fecit, coniecta in domum flamma; deturbatum trucidarunt, filium infantem in nutricis gremio iugularunt, amborum corpora ad macellum canibus lanianda proiecerunt, documentum daturi, ne quis futuris ſæculis opprimendæ Reip. ſuæ auctor exiſteret. Bocchus Rex in triginta elephantos ſæuire decreuerat, ſtipitibúſque alligatis totidem alios immiſit, & qui ſtimulis irritarent, nunquam inducere potuit alienæ vt iniuriæ miniſtri fierent. At Rauennates ſponte ſua in Lemigium Exarchum exarſerunt, quem non contenti trucidaſſe, vxorem, & pellices ad ſtuprum vulgarunt, Exarchanos Iudices publico

consilio interemerunt, eorum familias ludibrio habuit populi multitudo, quæ semper nimiùm aut odit, aut amat. His addam Caroli septimi Gallorum Regis Marescalcum, qui magica vanitate delectatus, centum & viginti mulierum prægnantium secuit vteros; & Abecillensem Cauponam illam, quæ iugulabat infantes, & sale conditos in cibum hospitibus dabat. Profectò qui carmina condidit, quibus pueri à primo limine instituuntur, cæterùm præceptis philosophiæ plena, cùm sapienter omnia, tum illud sapientissimè protulit:

Cùm tibi proponas animalia cuncta timere,
Vnum præcipio tibi plus hominem esse timendum.

Regnante Ferdinando Catholico Rege, Helisabeth coniux æterna memoria digna virago, ad claustrum secesserat in quo Leones Valentiæ publicâ impensâ aluntur; inter eas quæ Reginam comitabantur virgines, erat adolescentula forma egregia, sed petulans moribus: quam deperibat illius vrbis in primis clarus Emanuel, cui res præclarè cœpta Leonis cognomen postea dedit. Ea tran-

fenestræ innixa, vnde leones spectabantur: è chirothecis alteram demisit, inuitato ad recuperandum amante: Iuuenis subeundæ ignominiæ metu (& sunt Hispani huiusmodi qui vitam pro laude paciscantur) euaginato gladio, læuæque iniecto paludamento, caueam recludi iussit, in ipsóque vestibulo genua flectens, rectà ad leonem iuit: & porrecta cuspide chirothecam sustulit, versáque in leonem facie retrocedens, eundem honorẽ in limine exhibuit, immoto persistenti, & audaciam viri fortè miranti; ad puellam inde perueniens data chirotheca, malam manu percussit, caperet scortillum, & memoria teneret non ampliùs virum morti obiicere: in alterutro rationem fuisse dices? in procaci ne virgine, quæ fidum amantem certæ morti obiiciebat? an in iuuene, qui stultum honorem, vitæ securitati præferebat? in leone nimirum: qui humilem, nullam vim inferentem respexit; & illos tamen, qui feris sæpe truculentiores sunt, ab humanitate homines appellabimus? has, quæ non nisi prouocatæ, aut fame vrgente nocent, à feritate feras dicemus? Elephantes ho-

homini in solitudine erranti obuij facti, clementes, & placidi viam demõstrant, illiúsque cuius conspectum vestigium timent, itineris duces, & comites fiunt. Quælibet sæuitia, quilibet impetus canum, mitigatur ab homine residente humi; hominum verò rabies, ne à mortuo quidem inimico sedatur: hinc aiunt apud Romanos inuentum, vt cadauera cremarentur; quoniam quorundam insania in ea quoque sæuiret, sepulta corpora eruendo, & feris lanianda præbendo. Atque vtinam illa tantùm in gente malorum dæmonum cultui dedita, is furor quieuisset, & non ad nos, qui puram, atque veram religionem colimus, peruenisset; quid autem ad nos, immo ad illos qui summi Dei vicem in terris gerunt, pudet dicere, quod illos non puduit facere. Stephanus Sextus Formosum Prædecessorem suum mortuum erui fecit, & astantibus, qui ad celebrandum Concilium venerant; pontificalibus exuto indumentis, manus abscidit, abscissas in Tiberim proiecit, omnique dedecore affectum cadauer, in loco non sancto sepelire iussit. Non fuerat satis Pontificem vnum adeò ve-

cordi dementia insaniisse; nisi Sergius tertius alieni odij minister, eiusdem furoris contagione, in eundem Pontificem debaccharetur; è tumulo iterum extractum, in foro Romano capite truncari, & in amnem proiici iussit. Verùm quid antiqua, & obsoleta repetimus? Is qui nunc viuit, Henricus Angliæ Rex, aliam super aliam vxorem ducendi libidine cæcus, post innumeras patratas cædes, inter quas Roffensis, & Morus duo illa doctrinarum lumina extincta, duæ illæ Catholicæ fidei firmissimæ columnæ euersæ; nonne diui Thomæ Cantuariensis, cuius natalem diem celebrat Ecclesia, cadauer effossum, non secus quàm si viueret, citari, & coràm sisti fecit? aduersus Martyrem Christi dicebat testimonium, aurum, quo solido condita erat ara, dicebant gemmæ, quæ auro inclusæ radiabant. Quamobrem, qui alterius Tyranni triste iudicium pro Christi fide subierat: thesauri reus ne istius quidem sententiam euitare potuit, cremati beati cineres in auras spargi iussi sunt. Atqui huiusce extremæ dementiæ furiis non priùs agitatus is Rex, quàm Lutheranis hæresibus se

possidendum penitus tradidit; dignus alioqui, omni regia virtute conspicuus, & qui doctum, & apprimè Christianum libellum scripserat, aduersus idem illud, quod nunc profitetur dogma: adeò præcipites eunt, qui à veræ fidei cultu aberrantes, pessum semel ire cœperunt! Delphini sui generis defunctum efferunt, ne ab aliis piscibus laceretur, & id curant de sensu iam carente; nos rationis capaciores erimus, qui istiusmodi insaniæ plena patramus? Vedius Pollio Romanus eques, non odio, sed cruentâ voluptate allectus, damnata mancipia in Murenarum viuariis mergebat, non quòd in vsum distrahendi terrarum feræ non sufficerent, verùm quòd voluptates videndi viuentem hominem ad extremum laniari in illis, adamaret; & is Pollio ex amicis Augusti numeratur, Augusti inter Diuos relati, qui si humanitatis micam, nedum Diuinitatis in se habuisset, nunquam talis monstri familiaritatem adamasset. Verùm enimuerò quid miramur iustitiæ terminos semel egressum, totum se nequitiæ possidendum tradidisse? illo, illo nempe proscriptionis die, quo non vidit Sol scelera-

tiorem; inter ſiccarios efferauerat animum ita, vt cui per flagitium, adeptæ tyrannidis fundamenta debebat; quem ipſe Parentem, quem liber Populus Romanus, patriæ patrem dixerat: eundem obtruncari paſſus ſit, obtruncatíque caput inter præciſas manus, in roſtris poni: vbi ille conſul, vbi ſæpe conſularis eo ipſo anno aduerſus ſceleratum Antonium, quantum nulla eloquentiæ vox; auditus fuerat, in quo Phalarides omnes deus iſte ſuperauit. Quòd ſi Iuſtitia reliquarum virtutum Regina, ſic à Principe violata, & à Principe inter Deos ſtolidè relato, cur non à belluis cultam, venerabundi exoſculabimur? Narrant Ægyptij Aſpidem ad cuiuſdam menſam accedere ſolitam, micíſque & cæteris eſculentis paſci; enixa catulos, ab eorum vno, nondum per ætatem rationis compote, nondum accepti beneficij gnaro, hoſpitis filium interemptum offendit, in ſatisfactionem catulo necem intulit, nec in eam domum ampliùs eſt reuerſa; poteſt maior in homine iuſtitia reperiri? cui non ſat fuit, filium necaſſe, niſi ſeipſa exilio mulctaret. Quid aliud detinuit Bocchi

Regis elephantos, ne alienæ iniuriæ ministerio fungerentur, quàm quòd iniquum censebant in sui generis belluas sæuire? quod homo auaritia sæpiùs, quàm iniuria lacessitus toties exercet. Hæc iustitiæ pars à quadam animi celsitudine manat: quæ tanta in belluis reperitur, vt sæpe parem in homine desideremus. Leo venatorem, qui telum sine vulnere miserit sternit, non vulnerat, ceu ignauum & indignum, in quem vlciscatur. Alexandri Macedonis equus regio ornatu stratus sessorem alium admittebat neminem; idem in Thebarum oppugnatione saucius, in alium equum transire Alexandrum minimè passus est; quamobrem mortuo duxit exequias, & tumulum vrbe circundedit. Idem de Cæsaris Dictatoris equo perhibent, alium prorsus sessorem dedignante. Equi vnius laudi duo summi Imperatores testimonium subscripsere; Augustus tumulum condidit, Germanicus præclarum carmen cecinit. Agrigenti multorum equorum tumulis adiectæ pyramides, arguunt, clarissimos viros non vsque adeo insaniisse, vt honores, qui homini debentur, belluis te-

merè soluerent. Impudens censebor, si his immiscuero, quæ de quodam meo possum; veruntamen, quoniam de equis, non de hominibus sermo; venia dabitur. Fungebar legatione Clementis septimi apud Ferdinandum Romanorum Regem, vtebárque equo: quem quoties ascendissem, toties occurrebat illud Virgilianum,

Stare loco nescit, micat auribus, & tremit artus.

Adieramus oppidum in Quadis (quos Slessitas vocant) Georgij Marchionis Brandiburgensis illius, qui à Catholica fide, in errores Lutheranos abiit: nunciarunt ab equo turpiter læsum cui equorum custodia commissa fuerat, & cum nuncio aderat ipse quasi alter Deiphobus, truncatis naribus, querebatur Falcum id sibi fecisse, falcum (vt nosti) giluum Germani appellant, tantò magis miratus, quod ne calcitrandi quidem, nedum mordendi reus vnquam fuerat; asserebat famulus, postquàm eo vti cœpissem, tantopere superbire, vt ferre nequiret alteri priùs, quàm sibi potum præberi; in angulo stanti situlam se primùm obtulisse, inclinato inde sub

tigillo capite, quo ſtationes equorum ſeparantur, ad ipſum ex ordine accedentem, mordicus prehenſum: iuſſi deinceps antiquum vectorem meum parari, pro quo inter familiares contentio fuerat, vnoquoque illum detrectante, non alia ratione, quàm quod cæteris minor, pernix alioqui, & non indecorus. Cæterùm familiaribus vtebar Germanis, quibus magnitudo magis, quàm ſpecies cordi: mirum quanta repentè mutatio, qui velut ætate conſenuiſſet (vnum quippe de viginti annis vſus fueram) flaccidis auribus triſtis incedebat: me in dorſum recepto, alacer hinnire, ſuperbos greſſus glomerare, vt iudicarent familiares, eatenus indignatum à Domino ad ſeruitia reiectum fuiſſe. Parem generoſitatem ſibi vindicant reliquæ quadrupedes. Alexandro Macedoni dono dederat inuſitatæ magnitudinis canem, Albaniæ Rex, imperauit Alexander apros, & vrſos emitti, immobili iacente cane; offenſus tanti corporis ſegnitie, generoſi ſpiritus Imperator, occidi iuſſit; nunciauit hoc fama Albano Regi, quare alterum mittens, monuit, ne in minùs ſæuis experiretur,

ſed in leone, & elephanto; duos ſibi fuiſſe, hoc interempto non fore tertium, nec diſtulit Alexander, leonémque fractum extemplo vidit; mox elephantum, haud alio magis ſpectaculo delectatus: ſiquidem horrentibus per totum corpus villis, ingenti latratu intonuit, mox in ceruicem inſiliens, & inde belluam artifici dimicatione, qua maximè opus eſſet, infeſtans, crebra vertigine tandem afflixit; hæc animi celſitudo, non poteſt ſine magno laudis adipiſcendæ, ruboriſque & ignominiæ euitandæ intellectu conſiſtere. Cuius rei, non dubium argumentum dedit in exercitu Antiochi elephas; non audebat, qui dux agminis erat, amnem ingredi imbribus auctum, & turbidum; edixit Rex, qui tranſiſſet, eius principatum fore: confeſtim è grege auſus quiſpiam, honoris cupidine tactus: quamobrem argenteis phaleris, quibus maximè gaudent, principatúque donatus eſt, notatus infamia, cibo abſtinuit, inediáque conſumptus, mortem ignominiæ præferens. Leones vrgente qualibet magna canum, & venantum turba, in campis, vbi conſpici poſ-

ſunt, contemptim reſtitantes cedunt, ne formidine perculſi fugere videantur: at vbi virgulta, ſyluáſque penetrauerint, celerrimo curſu feruntur, non ampliùs turpitudinis ſuſpicionem adeſſe putantes: in hac parte aliquorum hominum ignominiam non detegam, ne illuſtrium quorundam memoriam offendam: qui hoſte imminente cubiculis incluſi, aut in caſtris inermes capi maluerunt, quàm ſe pugnæ cum gloria committere; & horum alij habenas regni tenent, alij Reipub. ſuæ principatum ſortiti ſunt. Memorantur equi in Claudij Cæſaris ſecularibus ludis, excuſſo auriga, nihilominus palmam obtinuiſſe, peractóque legitimo curſu, ad metam ſtetiſſe, vt puderet homines vincendi deſiderio, & arte, ab equis vinci: In ludis quoque Circenſibus, ac ſi auriga ſtaret, equi cucurrerunt in Capitolium ter ſedem luſtrantes, vt gloriari etiam viderentur luſtrandi ritum non auxiſſe, non diminuiſſe. Proponunt victori equo præmium Veneti, qua die Patauium à Carrarenſium tyrannide liberarunt, mittuntur vndi-

que pernices equi; solitus erat Franciscus Gonzaga nouissimus Mantuæ Marchio, duos mittere, nec erat alius, qui omnis generis equorum, & pulchritudine, & numero magis abundaret; dabatur cúrrendi signum extra portam sanctæ Crucis, quæ non obliquo, vt nunc, sed recto patebat exitu, finiebatur cursus ante Bouis ædes in quibus ius ciuile legebatur, nunc confuso ordine, omnibus disciplinis liberalibus loca statuta; in prato vallis stabant tubicines qui præteruolantium equorum primo, proximóque animum buccina dabant: duorum alter, quos Marchionem mittere solitum diximus, sessorem non ferebat: vbi primum currendi spatium corripuisset, insidentis pueri lacertum leni morsu prehendebat, & puer assueti moris gnarus, in partem desiliens, vacuum dorsum linquebat, equus à recto cursu non aberrans, ad metam properabat, victor semper; nec vlnam vltra excessisset. Memini iuxta secundam, quæ tunc erat porta, nunc ea mœnia solo æquata iacent, vidisse senem à porticu in alteram transire parantem, cùm inclamasset turba, aduentantium equo-

rum aſpectu, titubanti rediret, an pergeret, interueniſſe equum nimbo perſimilem, impetúque ſtrato ſene, corruiſſe ſimul: conſtiterant ibi tubicines, & præteruolantem ſecundum, bombo animabant, reſiluit à caſu equus, & præteriens eum, qui primus euaſerat, palmam nihilominus obtinuit; tanta erat adipiſcendæ laudis cupido. Domeſticis libenter vtor exemplis quibus fidem obſtringere poſſum, & alicuius amantiſſimi mei memoriam recolere. Viuente Maximiliano Cæſare vtebar equo cuius exactæ iam ætatis ſuperiùs mentionem feci: extra Enipontem animi recreandi cauſa equitabam cum Eugenio Cypri Principe illo frugi qui à Turca Præfecto Boſſinæ fide priùs datâ, cum tota familia eſt interfectus; patenti in campo ceruos paſcentes reperiebamus, quorum incolumitas regio edicto capitali pœna cauta fuerat; equus procul viſis ceruis, decertandi ſtudio, ceu venaticus canis, ad curſum accendebatur; accidit ſemel duos velociſſimo curſu inſequenti, ad extremam cuiuſdam prati ripam deuenire, quæ præcipiti quinque pedum altitudine humilior

prato iungebatur; nequiueram pernici cursu abreptus, diruptam rupem ad perpendiculum inspicere; nec si vidissem, sic subitò solutum in cursum equum, frænis cohibere; ab alto desilientes ceruos insecutus; non æquauit modò, verùm etiam inter vtrumque volans, inuicem disiunxit. Huius generosæ gloriæ non item Alites expertes sunt. Aquilæ implumes pullos suos alis percutientes, cogunt aduersos Solis radios intueri; conniuentem vti degenerem è nido præcipitant; optimum nobis documentum tradentes, vt degeneres filios citiùs abiiciamus, quàm vt segnitie sordescant. Eadem laudis ambitione inflatus Pauo gemmantem expandit caudam contrahens in vnum pennatum oculos, quos aduerso Sole in primis spectari gaudet, intelligens prorsus sic colores fulgentiùs radiare, sic vmbræ quosdam repercussus cæteris quæri: qui in opaco clariùs micent. Certant Lusciniæ animosa inter se cantus contentione, victa sæpe vitam morte finit, spiritu priùs deficiente quàm cantu; quo magis damnandi homines, quorum animi non efferuntur laudibus, non incenduntur ad

ſtudia, gloria. Ineſt & Columbis laudis intellectus, norunt ſuos colores, & ſibimet plaudentes vario volatu cælum ſulcant, vnde fit vt in ipſa gloria gaudentes, ſæpenumero rapiat earum occultus hoſtis Accipiter. Qui laude, vel gloria tanguntur pudore affici par eſt; quocirca Elephantes victoris vocem fugiunt, nec niſi in abdito coëunt, nec priùs in aliorum numerum redeunt, quàm ſe flumine proluerint; cuius rei tam paruus inter homines pudor vt eius vel meminiſſe pudeat. Nil vilius Aſinis, & pariture tamen lucem euitant, ne conſpiciantur ab homine. Equabus tonſa iuba extinguitur libido, quòd pudeat ſine coma eſſe. Iidem Pauones amiſſa cum foliis arborum cauda, pudibundi latebras quærunt, donec iterùm cum flore renaſcatur: ad idem ſpectant gallinacei Galli, victi occultantur, & ſilent, ægrè ſeruitium patientes: in victoria voce, & cantu exultant, ſe principes eſſe teſtantes. Hæc cùm dicerem, ſubriſit Cardinalis, plurimùm, inquiens, mihi belluas debere, quas ab innata feritate vindicarẽ, & hominibus mitiores (ſi Deo placet) redde-

rem, non fortitudinem interim adimens, quin ita concedens, vt mortem contemnere, & vbi visum fuerit, tempori seruire norint; laudis porro, gloriæ, ruboris intellectum, quæ summi Philosophi vti à ratione, non à natura prouenientia solis hominibus reseruarunt, sic feris communicarem, vt rationis plusquam participes redderem: quin & Iustitiæ cultum, qualis seuerior forsan, iustior in homine non reperitur: cùm sæpe summum ius summa sit iniuria, an tu (inquit) dubitas si vera sunt, quæ de Aspide narrant Ægyptij: non omnia humanæ iustitiæ exempla aut superasse, aut æquasse? L. Brutus Romanæ libertatis conditor, duos adolescentes liberos virgis cædi, & securi percuti fecit; quia cum Tarquiniis consensissent in excidium patriæ, quæ nobis vita charior esse debet; accedebat iustæ vlciscendi causæ priuatus dolor, non habendi pro filiis illos, qui pro patre non habuissent eum, qui genuerat. L. itidem Manlius filium, qui Consulare imperium neglexerat, morte multauit, durum istud; poterat mitius exemplum in improuidum adolescentem, & eui-

tandi dedecoris, atque adipiſcendæ laudis cupidum edi, ſed erat Lucij filius: cui atrox ingenium, Imperioſi cognomen dederat; nec tam diſciplinæ militaris, & Conſularis imperij violati cura accendebatur, quàm quòd ſe in eo contemptum, & dedecore affectum dolebat, itaque militibus ſuis odio; iuuentuti Romanæ tota vita execrabilis vixit. L. quoque Virginius non poterat alia via filiam à vi, ab impudicitia eripere; quid autem ſimile in Aſpide? nullus ibi priuatus dolor, nulla diſciplinæ violata maieſtas, nulla neceſſitas, nihil denique quod animum à recto impediret, iuſtiſſima duntaxat hoſpitis vindex facta: qui tam bene de ea meruerat, cui non ſatis viſum homicidam filium interemiſſe, niſi ſibi domus illius, vnde victus ſuppetebat, exilium indiceret. Doceas autem oportet, feras eadem charitate ſuos liberos amplecti, qua nos noſtros ſolemus, dein gratitudinis, atque ingratitudinis vim ſentire, tunc demum res acta, fide, atque miraculo digna cenſebitur. Vtrumque inquam, perfacile, eſt enim charitas creatis omnibus diſpertita, quippe quæ nil aliud

est, quàm amoris nomen, & quidem gratuiti. Deus ipse, qui nulla re egens nobis consulit; & nostra causa producit omnia, charitas est, cuius exemplo parentum erga filios amor, charitas dicitur; alioqui si parentes sua causa diligerent filios, quemadmodum solemus arua, prata, pecudum greges, non charitas, sed mercatura quædam esset. Infundit autem Diuina bonitas charitatis suæ igniculos omnibus, vt diximus, à se creatis, sine quibus animantium vita consistere non posset, cessaret defensio, cuius iniuriæ obnoxij paruuli deserentur si cessaret charitas; hinc fit vt nobis hominibus nullius incolumitas suauior sit, quàm filiorum; nullum funus acerbius, & magis luctuosum. Eiusdem mentis, eiusdem animi se faterentur alites, atque quadrupedes, si loqui possent; re autem ipsa declarant per ferrum, per flammas intrepidè vadentes, si filiorum charitas postulet: fœta Leæna pro catulis dimicans, in terram oculorum aciem defigit, ne venabulorum terrore à defensione amoueatur: familiares hæ nostræ Gallinulæ innocuæ, simplices, inermes, aduersus ipsum hominem,

minem, eadem ratione audent, & insurgunt, nullúmque prorsus tam imbecillum animal quod omni pauore abiecto pro suorum catulorum, siue pullorum defensione mortem non paciscatur. Est igitur hæc charitas & naturalis, & necessaria; naturalis, quoniam à natura data: necessaria, quia sine ea mortalium vita non potest subsistere: at filiorum erga parentes amor, non charitas, sed pietas dicitur, non quidem necessaria: quoniam absque ea parentes degere possunt; naturalis tamen, natura quippe nos docet illorum grata mente meminisse, quibus vitam hanc, quam viuimus, quibus lucem, qua fruimur, quibus (vt vno verbo complectar) debemus omnia: hæc pietas tanti est, vt non iniuria dictum à sapiente fuerit, solo vultu pietatem lædi. Quamobrem ferunt Romulum in condendis legibus, & tota acta vita prudentissimum, nulla parricidæ pœna definita, homicidium omne parricidium nuncupasse, quòd impium hoc, illud impossibile factu iudicaret: hunc secutus Solon, qui regnante Tarquinio Prisco leges Atheniensium ciuitati præ-

ſcripſit, interrogatus, cur nullum ſupplicium conſtitueret in eum, qui parentem interfeciſſet, reſpondit id factúrum putare neminem, nec ſancire oportere quod antea commiſſum non fuerit, ne tam prohibere, quàm admonere videretur. Quod tamen conſilium irritum fecit vnius item & alterius noſtræ ætatis nefanda impietas, bis eodem anno viſum in exiguo oppido Vincentini agri Maroſtica, filium patrem interimere; quod ſceleratum ſcelus Vrbs ampliſſima Roma ſexcentis poſtquàm condita fuerat annis non vidit; vtrumque nouimus, & alterum quidem egregium ciuem, ſi talem peſtem ſibi, ac patriæ labe non genuiſſet: nec id ſubito furore fecit, ſed animo quieto; vlla ſi quies in tanto flagitio dici, fingive poteſt; neque rurſus graui iniuria affectus, quanquam nulla tanta iniuria, cur mortem inferret illi, pro quo mori ipſum ſi res poſtulet iura diuina atque humana cogunt; quin leui de cauſa, neque dictu digna, extra mœnia cum amico ambulantem adortus, cùm pater filium precaretur, vitam tantiſper linqueret, donec peccata fatendo dilueret: non priùs

impium expleuit animum, quàm tribus, & viginti confoſſum vulneribus reliquit, è quibus multa mortuo, ſenſúque carenti illata: & exorauit (vt à nobis dictum eſt) leonem, cui tanta feritas, mulier; pater filium exorare non potuit. Fuere certè ſapientiores Romuli poſteri, qui ſcientes nihil adeò ſanctum, quod non violaret audacia: in parricidas ſingulare ſupplicium excogitauerunt, in culeum namque inſui voluerunt, & in flumen abiici, ne ſi feris obiicerentur, iis immanioribus vteremur, quæ tantum ſcelus attigiſſent: aut ſi nudos in flumen deieciſſent, in mare delati polluerent ipſum, quo cætera polluta expiari putabant. Sic qui necaſſet illum vnde ipſe natus eſſet, carebat meritò rebus omnibus, ex quibus oriuntur omnia; viuebat dum poterat, animam de cœlo minimè ducens, moriebatur, nec terra illius oſſa tegebat, iactabatur fluctibus, nunquam vt ablueretur. Solæ omnium animantium Viperæ memorantur tarditatis impatientes, genitricis latera perrumpere; at pietatis multa belluarum officia recenſere poſſumus: Glires ſeneſcentes

genitores suos summa pietate alunt: Meropes reconditos pascunt: Ciconiæ quoque senecta fessos educant: est & quædam belluis erga seniores obseruantia. Elephanti, qui ætate præierit, agmini præficiunt: qui ætate proximus fuerit eum agmen claudere iubent. Delphinis est curæ, vt iuniores grandior, tanquam custos comitetur, est & illis quædam alia pietas, vt sui generis mortuos efferant, ne ab alio piscium genere lanientur. Eadem Formicis tam paruo, tam nulli animali cura. Equi comperti sunt effusis lachrymis mortuos dominos lugere: interfecto Nicomede Rege, equus eius inedia vitam finiuit, quod & ætate nostra Scanderbechij egregij, & inuicti aduersus Turcas Ducis, equus fecit. Confecto plagis à latronibus domino, canes à cadauere non recessere, feras, & volucres abigentes. Testantur Romani annales cùm ex causa Neronis Germanici filij animaduerteretur in T. Sabinum, & eius seruos: vnius ex seruis canem à carcere abigi nequiuisse, non à corpore ad Gemonias scalas abiecto, mœstos edentem vlulatus, cui cùm quidam panis fru-

ſtum obieciſſet, ad defuncti os protinus detuliſſe, cadauere inde vnco in Tiberim tracto, in medium flumen innataſſe, ne mergeretur ſuſtinere tentantem, effuſa populi multitudine ad ſpectandam animalis pietatem. Iaſonis Lycij obtruncati, canis cibum capere noluit, inediáque conſumptus eſt. Lyſimachi quoque Regis, & Hieronis illius perpetui Romani nominis amici, & ſocij, canes extinctis dominis ſe in rogos & flammas præcipitauêre. Cogita tute nunc, ſi memoratæ belluæ ſolius conſuetudinis cauſa adeò perditè dilexerunt, vt poſt eos viuere recuſarint, quo amore, qua charitate ex ſe genitos proſequantur. Antepoſuit ergo naturali affectui, iuſtitiæ cultum Aſpis illa, pluris fecit iniuriam illatam, quàm ex ſe geniti catuli vitam, pluris ingratitudinem admiſſam, quàm ſui, ſuorúmque victui neceſſaria. Nam quòd gratitudinis, & ingratitudinis, vim pariter ſentiant, nihil mirum: cùm ex eodem pietatis fonte ambæ manant, diuerſis quanquam riuulis, in vnum tamen ſæpiſſime confluentes. Volumus eſſe grati erga Deum, cui omnia debemus; volumus erga pa-

rentes, qui nos genuere, genitos educarunt, educatos virtute donarunt, gratitudinis cum pietate iunctæ nomen assequimur: volumus erga fratres, quorum amore atque concordia non solùm rem domesticam tuemur, verùm etiam augemus, & ex minima sæpe in immensam prouehimus, quod ita esse, hoc tuum septem baculorum fasciculi delatum insigne monstrat, quando septem germani fratres vnanimes viuentes, familiam vestram nobilem licèt, ad has tamen opes, & dignitatis excelsos gradus extulistis. Volumus esse grati erga consanguineos, affines, amicos, quorum opibus fulcimur, excitamur monitis, nondum relata gratia pietatis nomen adipiscimur. Celebris est apud Seston vrbem Aquilæ gloria, à virgine educata gratiam referebat, aues, cæteróſque venatus aggerens: gratitudinem superauit pietas, defuncta quippe puella, & in rogum coniecta, in ardentem flammam se pariter coniecit, simúlque conflagrauit. In Achaïa puer Draconem enutrierat, adultúmque metuens in solitudinem tulerat; accidit eundem puerum adultum in eodem sal-

tu à latronibus circumueniri; cognita implorantis auxilium voce subuenit Draco, & à latronibus eripuit. Cuidam Samio naue in Africam delato, & in littus exposito occurrit Leo, quo viso perterritus arborem conscendit; sed neque fera cùm posset obsistere, fugienti instabat, quin sub arbore procumbens, hiatu, quo terruerat, miserationem quærebat; ossis frustum validiore morsu dentibus inhæserat, & cùm ob id pasci non posset, inedia simul ac dolore cruciabatur, quo cognito Samius fidentior redditus, ab arbore descendit, præbentíque os fragmentum ossis euulsit: liberatus leo quamdiu nauis in littore stetit, gratiam retulit, venationis partem quotidie afferendo. Deciderant Pantheræ in foueam catuli, recuperandi, nisi hominis manu spes nulla supererat: occupato triuio iacebat alicuius aduentum obseruans: sic improuisa cuidam iter agenti affuit, blandiénsque, & se conflictans mœrore, qui etiam in Panthera intelligi poterat: leui vnguium iniectu, non reluctantem duxit ad foueam: cognita doloris causa catulos exemit viator; salutísque suæ mercedem accepit

prosequente fera læta, ac gestiente, donec solitudinem securus euasit. Innumera sunt gratitudinis in belluis exempla: vtinam non tot ingratitudinis, aut multo plura in hominibus reperirentur: quotus enim quisque Princeps, qui non hoc vitio laboret? quàm pauci priuatorum parietes, qui non hac labe inquinati fœteant: nullum est vitium quod non in ingrato Dæmone inueniatur, qui pulchrior & excelsior cunctis à Deo creatis ingrati animi crimine in intimum barathrum est detrusus: mea quidem sententia istiusmodi homines adeò sunt execrabiles, vt odio dignos arbitrer, qui illorum duntaxat meminerint, nedum vt facta explicent, quando absque extrema indignatione & odio recenseri non possunt: debebunt igitur quanquam inuiti gratias silentio tantisper dissimulari. Rectè, inquit Cardinalis, nec ego alia de re magis glorior, quàm quum dignitatem, opes, quæcunque mea sunt, Ferdinando clementissimo Regi accepta refero, & eidem vni debere apud omnes profiteor: quin vitam si pro eius, liberorúmque amplitudine effudero, nondum sa-

tisfecisse credam. Sed vnde nouerat Leo, aut Panthera auxiliatrices homini manus esse, vt non ad alia animalia æque vt ad hominem confugeret? Vnde, inquam, Elephas animaduerso humano vestigio contremiscit? subsistit ab olfactu? circunspicit? nec illud vestigium calcat? sed erutum proximo videndum tradit, ille tertio, donec ad nouissimum ventum fuerit? tum demum ceu communicato consilio, aciem circumagunt, ac dirigunt: Quis monuit, vt timere debeat vestigium nunquam antea visum? etenim syluas, quas inhabitant elephanti, ab hominibus frequentari minimè credendum. Quis itidem docuit Tigridem viso hominis vestigio, pauore percuti, extemplóque transferre catulos? quæ quidem Tigris ipsius elephanti vestigia negligit: hæc est nimirum vis, hæc naturæ maiestas, vt hominem, cuius potestati, ingenio, prudentiæ, arti, cuncta subiecit Deus: exiguum corpore, formidet belluarum maxima: viribus imbecillum, robustissima: cursu tardum velocissima: quem igitur officere posse, & se etiam subigere intelligit; cur non

eundem prodesse, atque auxiliari posse sperare debeat? hinc, aiunt Syracusanum quendam iter in Syria facientem, Leonem obuium habuisse, qui sublatum anteriorem pedem humilis, atque supplex offerret, respicientem Syracusanum vidisse pedem infixa spina intumuisse, itaque cruciatu illum, se metu liberasse. At non naturæ, sed rationi ascribendum, quòd Ceruus simplicissimum alioqui animal, vrgente vi canum, vltrò ad hominem confugit, & in pariendo semitas humanis vestigiis tritas, minùs cauet, quàm quæ secretæ feris opportunæ sunt: futurum præuidens, vt ab feris catuli lanientur, ab homine in delitiis seruentur; Pari modo, quæ de Panthera diximus: monstrauerat natura vnum sibi auxiliari posse hominem: docuerat ratio triuium magis, quàm tramitem frequentari: nec moraturam diu, quin illac aliquis transiret; rursus humi decumbere, ne si longiùs prospecta fuisset, terrorem, & fugam iniiceret. Cuniculis natura dedit maribus, vt inuentos catulos suos nudos deuorent, eáque causa fodiunt terram, fœminæ vt in abscondito pariant:

quin etiam, ratio suasit fœminis sibimet pilos dentibus vellere, quibus nudos operiant, maritis suasuræ non ampliùs cibo opportunos esse. Cæterùm, vt reuertar vnde digressus sum, fidem, hoc est amorem seruare, & desiderium insuper vlciscendi, si opus fuerit, de se benemeritos; magnā sibi prorsus & pietatis, & gratitudinis partem vindicant: quale de Antiochi Regis Equo legitur: qui recepto in dorsum domini interfectore, frænis domitis, cum eo in prærupta abiit: cui rei fidem faciunt, quæ apud Maximilianum Cæsarem contigere. Venerat Nurembergam ex Bethleem Iudææ, venerabilis senex non ex vulgo mendicus, sed qui innata erga Deum pietate, beatorum Apostolorum limina visere cuperet; eius aduentu audito, Cæsar hominem vocari, & intromitti iussit. Non fuit quippe benignior, neque comior, neque prudentior Princeps, & qui plura scire ac discere cuperet. Quæ idcirco tibi commemoro, quòd tu nunquam illo Principe vsus es, nam (ni fallor) vbi primùm per ætatem licuit, Bononiam concessisti Pontificio iuri operam daturus; reuersus eodem

anno Tyrolensis Regiminis Cancellarius, & Tridentinus Antistes electus es, nec inde priùs recessisti, quàm dignus immortalitate Princeps, extremum diem clausit. Quin tu, inquit Cardinalis, rem quàm gratissimam feceris, si vbi se obtulerit occasio, eius memineris; cuius ego memoriam non minùs colo, quàm hos viuentes nepotes eius, veneror. Morem inquam, tibi geram, nec est cuiusquam recordatio, quæ me magis delectet; quàm æterni Imperatoris humanitatem, clementiam, liberalitatem, & cæteras animi, corporísque singulares, & eximias dotes recolere. Venatum iturus (nam venandi studio plusquàm modico tenebatur, non tam Xenophontis pædiam secutus, quàm quòd videbat, eo pacto humillimo cuique accessum ad se dari, quibus imprimis consulere cupiebat) solitus erat dicere, qui Princeps venatione non delectaretur, ei aut ludo tempus terendum (quod esset in homine, nedum in Rege turpe) aut alienis fortunis inhiandum; vel (quod longè detestabilius) vxoribus insidiandum: maximarum porro rerum gerendarum negocia non

omitti, iussis quibus à secretis vteretur, ponè sequi; sic corpus citra alienam iniuriam exerceri, sic adeundi locum vnicuique dari. Laborabat nouissimis, quibus vixit annis, altera tibia, eáque causa lecticâ frequens vtebatur, & commodius allocuturis futurum, puerum paruulo admodum equo ponè vehi iubebat, tantisper cum adeunte permutaturum, dum ore ad os, quod aiunt, quæ dicenda forent loqueretur, tanta inerat benignitas! Quoties aduerti in me, meíque similibus solitum iubere, vt pileo caput tegeremus, ne Sole, ne vento offenderemur; quod item in principibus viris non faciebat, fortè ne quod singulari cuidam humanitati ascribendum erat; id illi dignationi suæ ineptè ascriberent. Erat & animaduersione dignum, quemadmodum inopes pagos, & tenuia castella, iter agendo libentiùs peteret, cùm vt iis vsui esset, tum vt incommoditate loci proceres, quibus alibi locorum aditus patuisset, ab occupandis humiliorum hospitiis arcerentur. Non omittam, quod rarò in alio Principe, aut nunquam fuisse reor; externorum accedebat nemo,

quem non munificentia complecteretur: incumbebat id onus Paulo Oberstainer Præposito Viennensi ob singularem fidem, probitatem, mirè grato, quem isti vestri, qui optimum Principem Ferdinandum sibi prædæ proposuerunt, ob easdem virtutes inuisum aspernantur: is vbi negocium absoluisset, nunciabat quantum ad se attineret, rem peractam, iret ad thesaurarium reliquum habiturus: Thesaurarius perpensa hominis conditione, itineris, temporis quod absumpserat: tantum exhibebat, quantum expensis factis, & futuro in patriam reditui largè sufficeret; idque humilioris etiam fortunæ viris tribuebatur; Germanos excipio, quibus nihil suppeditabat, vel quia maiore quadam dilectione exteris, & præsertim Italis afficiebatur; vel quòd propria in patria existentibus minùs congruere iudicabat. Nunquam aliqua ex vrbe, in qua diutiùs moratus fuisset, abibat, quin præciperet aduenarum nomina descripta afferri, quibus vt se sequerentur, donec petita sua absoluerent, singulis quæ satis esse iubebantur ad centum vsque & ducentos Rhenenses aureos a-

ſcribebat, illúmque libellum, ſiue pagina foret; Statum vocabant. Non hîc maieſtatem, quæ inerat vultui; non decoram pulchritudinem corporis, non equitandi peritiam, non rei militaris ſcientiam commemoro; non ſingularem prudentiam, qua nepotes ſuos ad hanc tantam magnitudinem Imperij, quæ terrarum pene orbi formidoloſa exiſtit: venturos præuidit, & fundamenta iecisſe, ſi viueret, gloriari poſſet. Verùm vt ad Bethleemitam redeam; mandauerat Iacobo Banniſſio, quo (vt optimè noſti) non prudentiore, probioréve à ſecretis vtebatur, curaret decem aureos Bethleemitæ dari, qui ſe ſequeretur: accepta quæ deſtinata fuerat, pecunia, cuidam Germano pediti ſodalitio ſe iunxit, qui viſam Bethleemitæ datam pecuniolam pluris faciens, quàm hominis vitam, hominis ſenis, hominis adeò peregrè in noſtras vſque regiones profecti; ſyluas ingreſſus, quæ Nurembergenſem ciuitatem cingunt, incautum hominem obtruncat, & cadauer tumulo tegit. Tenebatur eius deſiderio Cæſar, cauſatúſque theſaurarij negligentiam, & literis, & nunciis Beth-

leemitam dimitti iubebat: cognito iam-pridem accepta pecunia discessisse, suspicatus quod euenerat; imperat Profosso, (sic enim ni fallor, Præfectum Iustitiæ appellatis) de Bethleemita anquirat, aut certò sciat pœnam in se redituram: is erat præterquam suopte ingenio diligens, cui furor plus, quàm ratio obuersaretur animo, dum regionem, dum saltus omnes solicitus pererrat; diuertit ad cauponem forte fortuna, cuius in hospitio idem ille sicarius, hora pomeridiana sedebat ad mensam pane, caseo, & vino horam de hora trudens: assidebat lateri canis, qui Bethleemitam fuerat, per tam longa terrarum spatia è Syria in Germaniam prosecutus. Mos est (vt scis) illa in gente intranti poculum offerre, etiam humiliores, & aggrestes nobilioribus solent: itaque cùm Profosso cyathum obtulisset, ille forsan iracundia feruens, quia nullum patratæ cædis vestigium inueniret, auersatus inuitantem, quid tu, ait, mihi poculum propinas? hoc audito Canis in latronis faciem insiluit, cuius rei stupore captus Profossus, ad increpantis vocem, canem mordicus prehendisse illum, à quo pascere-

paſceretur: nimirum, ait, Bethleemitam occidiſti, vecors redditus, factum non diſſimulauit; cúmque ad patratæ cædis locum duceretur, præcurrens canis, tantillum chlamidis detexit; quin ad ſupplicium ſecutus, ablato latroni capite, multas blanditias lictori offudit, nec ab eius contubernio amplius receſſit. Quid hîc primum mirabimur? tantúmne ſenſum, tantam rationem (non enim aliter dicere poſſumus) in illo cane fuiſſe? qui ſecum meditaretur, ſi domini interfectorem nequaquam auerſatus foret, euenturum vt incideret in aliquem, qui dignoſceret Bethleemitæ canem fuiſſe? an rurſus, quòd audita increpantis voce in faciem inſiluerit? quo palam fieret cauſam ſubeſſe, cur offerenti cibum iniuriaretur? quid quod ad tumulum præcurrens, cadaueris veſte tracta facinus nudauit? adde ſupplicium comitatum, adde blanditias interfecti domini vindici lictori exhibitas: huiuſce rei, quæ meo quidem iudicio, vetera ſuperat exempla, fidei, & cuiuſdam præſciæ futuri rationis in bellua, teſtimonium perhibere poteſt Petrus Bonomus Epiſcopus Tergeſtinus, qui adhuc viuit,

ſextum, & nonageſimum annum agens; felix omnino, in quem ea gratia diuinitus influxit, vt qui Federico tertio Romano Imperatori gratus, idem Ferdinando pronepoti gratior inſeruierit: & viuat ſic omnibus ſenſibus integris, vt prudens ille, qui in viridiore ætate floruit animus, idem propè in hac ſenili, & decrepita vigeat: quod temporis legendis ſacris auctoribus, quod ſuauiſſimis amicorum colloquiis ſupereſt, id venationibus, aucupiis, piſcationibus abſumens, magnum prorſus deſiderium iis qui nouêre relinquens, eiuſmodi Deo, & hominibus gratam ætatem tranſigendi. Verùm vt qua cœpimus, pergamus, ecquo nunc in homine tantam fidem inuenies? quin quanto intimi familiares magis, quanto beneficia plura adepti; tanto hi diligentiùs exquiruntur de ſe bene meritorum carnifices futuri. Vigebat Italiæ gloria, & militiæ decus Ioannes Franciſcus Maria Vrbini Dux, cuius incomparabili virtuti nullus non ſubſcribebat Princeps: quis alius inuentus, qui alienæ inuidiæ miniſter tantum lumen veneno extingueret, quàm quo tonſore vtebatur? in quem ingen-

tia contulerat beneficia : ſed Deus iuſtus iudex pœnam in auctorem vertit, vt trucidatus, inſepultus, volucribus & feris eſca iaceret : cui non ſat fuerat tantum vulnus inflixiſſe Reipub. Chriſtianæ laboranti, & hac tempeſtate magis quàm vnquam talis propugnatoris præſidio egenti, niſi miſſus ad ſolicitandum in Chriſtianos Turcam, egregiam ſumeret prouinciam. Addam vnum adhuc ne prolixior ſim, fidei exemplum in Cane, & ſingulari cuidam prudentiæ iunctum. Mihi familiaritate perquàm iunctus erat Ioannes Maurus Archanus Foroiulienſis, felix ingenio iuuenis; is à ſecretis aderat Alexandro Cardinali Cæſarino : ſi quod negociis tempus, ſi quod literarum ſtudiis intercepiſſet, totum id venationibus impendebat; contigit ſemel, vt fugacem Ceruum ſectando, in altam foueam decideret, vt ſunt pleræque in agro Romano alicuius veteris monumenti relicta veſtigia : aderat præter canem nemo, qui domum reuerſus, cuncta mœſto vlulatu replebat, repeténſque curſus, atque recurſus, familiaribus vt ſe ſectarentur innuere videbatur; quam rem

animaduertens Cardinalis, cognito nondum eius dominum domum reuertisse, iniunxit vt canem sequerentur, à quo rectà ad puteum deducti, altero crure debilitatum extraxere, dignum cui fata longiorem vitam darent, nam paulò pòst acuta febre correptus interiit. Si memoratus canis naturam ducem secutus duntaxat fuisset, quid ampliùs egisset, quàm à domino minimè recedere? adde plus aliquid: lamentis locum replesset; monstrauit ratio domum redire, & voce, & quibus poterat nutibus auxilium poscere. Si tantus, inquit Cardinalis, belluis intellectus, sciunt etiam quid in se boni sit: propter quod sæpissimè petuntur: sciunt, inquam, & in hoc homini præstant, nam si sciret homo, quid in se boni sit, non se ocio, atque socordiæ corrumpendum dederet. Sciunt Elephantes propter dentes à venatore quæri, eáque de causa venatoribus è suis obiiciunt, quibus minimi sunt, ne tanti futurum prælium æstimetur: & si fessi vltrà se tueri non valent, impactos arbori dentes frangunt, contentum ea præda venatorem abiturum rati. Ponti-

ci, qui dicuntur Fibri: vrgente periculo se castrant, gnari ob id quæri, Castoreum Medici vocant; euomunt quoque fel ad diuersa medicamenta vtile, item coagulum ad comitiales morbos, propter quæ singula inuaduntur. Eodem spectat Anguium, & Stellionum malignitas, exutam senectam deuorant præripientes comitiali morbo remedia. Cerui annua deposituri cornua in loca aspera, & inaccessa secedunt, scientes dextrum cornu medicamento præditum, quod inueniri negant, magísque mirum, ne in viuariis quidem: in quibus nihilominùs mutant, vnde ortum adagium de re difficili, & non credenda, vt dicatur illic actum, vbi Cerui abiiciunt cornua. Norunt Herinacei tergoris causà peti, norunt etiam propter aculeos non facilè comprehendi posse; idcirco vbi venantem sensere, contracto ore pedibúsque, & omni inferiore parte, qua raram, & innocuam lanuginem habent, conuoluuntur in pilam, quin etiam vrina spargunt, qua dos illa tergoris corrumpitur: verùm hoc inuiti faciunt, & non nisi in nouissima desperatione: vt subtractos fuga

priùs fermè captiuitas occupet, quàm vt spinosam cutem maleficio perfundant. Conchæ, quibus innascuntur margaritæ, tam procul à cæterorum animantium sensibus: si viderint appropinquantem, comprimunt se, & opes suas operiunt, non ignaræ propter illas quæri: quin manum, si præuenerint, abscindunt, nulla iustiore pœna: quando parum est in gulam maria condere: nisi inter fluctus, & scopulos, periculo vitæ ad luxum quoque vestiamur. Cæterum quid miramur animalia scire cur, & qua ratione petantur? cùm non minùs cætera, quæ in rem suam faciunt, meliùs propè quàm homo intelligant, & nocitura vitent. Elephanti vno tantùm dente vtuntur radices fodiendo, moles impellendo, alterius mucroni parcunt, ne ad futuram dimicationem hebetetur. Sentiunt idem Pardi, Pantheræ, Leones, quippe qui condito in corporis vagina vnguium mucrone, ne refringatur, ingrediuntur. Cerui audito canum latratu, secunda aura fugiunt, vt relicta in puluere vestigia cum ipsis abeant: Leones in fuga, cauda delent. Hæc futuri præuidentia, quonam pacto sine ra-

tione conſtabit: cùm nocitura, & profutura æquè perpendant? Memorabilis in hanc rem Draconis cum Elephanto pugna; æſtu flagrante, allectus Draco frigidiſſimo Elephanti ſanguine, in tantam altitudinem aſcendere diffidens, in excelſam arborem repit, & in paſcentem inde ſe iaculatur; quærit Elephas contra Draconis nexus, arborum, aut rupium attritum: hoc futurum præuidens Draco, greſſus illigat cauda, ille nodos manu reſoluit: Draco caput in nares condens, ſpiritum præcludit, & molliſſimas partes lacerat, modò obuius factus in aduerſum erigitur, oculos maximè petens; vnde fit, vt plerumque cæci Elephantes fame, & mœroris tabe conficiantur. Quæ rurſus cognitio, an ne prudentia Pantheræ? quæ intelligens ſui odore quadrupedes mirè ſolicitari, eaſdémque capitis toruitate terreri, occultato capite, odoris dulcedine captas corripit. Pari modo Ceraſtes, quibus eminent cornicula, occultato corpore, cornuum motu ſolicitant aues. Ichneumones in dimicationē cum ſerpentibus ituri, ſe limo ſæpius mergunt, ſiccántque Sole, & vbi ſe pluri-

bus coriis armauerint, in pugnam prodeunt. Neque solùm armis se munire, verùm etiam hostium tela norunt, norunt occasiones, norunt imbelles diffidentium partes. Idem Apri sapiunt, venatorem timentes vestigia palude confundunt, fugam vrina leuant; & libidine stimulante inter se dimicaturi, arborum attritu tergus durant, & luto alio atque alio linientes, exsiccantésque armantur. Delphini agnoscentes hosti suo Crocodilo dorsi cutem plusquam inuictam esse, ventris tenuem, & plusquam mollem, mergunt se, aluúmque subeuntes aculeata dorsi spina, ventris mollitiem secant. Norunt prorsus animalia, quæ sibi conducant, quæ officiant hosti: ídque non natura, sed ratione dictante: natura namque præsentia quæ bona sunt appetere, aut quæ mala euitare docet: ratio futura præuidere, & consulere. Sepiæ, atque Loligines atramento, quod pro sanguine habent, aquam infuscant, ne possint à piscatore cerni. Polypi concharum auidissimi sunt, quæ cum visu, atque omni alio sensu præterquam cibi, & periculi careant, ad tactum comprimuntur,

eorúmque brachia præcidentes, ex prædatore escam capiunt: quam rem futuram præuidentes Polypi lapillos extra corpus immittunt, ne palpitatu eiiciantur, túncque demum securi extrahunt carnes. Agnoscunt Columbæ diuersas accipitrum species, alios non nisi ex terra auem rapere, alios circa arborem volitantem, alios sedentem in sublimi, alios volantem in aperto; visis ergo hostibus, vel considunt, vel subuolant, contra naturam eorum sibi auxiliantes. Percurramus obsecro latiùs in hac parte animalium ingenia, atque solertiam: & quæ potest esse maior, quàm Hyenæ? quæ vomitum hominis simulat, solicitans canes, quos inuadat: quid quum addiscit pastorum nomina? imitatáque vocem humanam, foras euocat, quem laceret? simili fraude Crocutæ & Mantichora vocem hominum, atque pecorum imitantur. Aquilæ determinant venandi spatia: nec vnquam in propinquo prædantur, futuræ necessitati prospicientes, nec rapta statim ferunt, quin primò librant pondus, ne fortè vbi minùs voluerint, deponere cogantur; quanta

verò futuri prouidentia, cum ceruis dimicaturæ, crebra priùs volutatione puluerem colligunt, inde superuolantes cornibus insident, concussisque alis collectum puluerem in oculos offundunt; quis vnquam dicat naturæ non rationis opus hoc esse? puluerem colligere, collectum in oculos offundere, vt cæcutientes è rupe præcipitentur: quid quum cibum è testudine capiunt? durissima earum testa prohibitæ, nónne præuident, si in sublime ferant, & ab alto in durius aliquod decidere sinant, fore, vt frangatur? quæ sors interemit Æschylum poëtam. Ab eadem ratione doctæ Cornices, duritiæ nucis rostro repugnante, in altum volantes tollunt, inque saxa, in tegulas iaciunt iterum, atque iterum, donec quassatam frangant: omittamus quæsitam, & inuentam frangendi artem; quanquam miratu dignam; quam primo iactu non fregerint: eam confidere secundo, aut tertio iactu fractum iri debere. Verùm quis dixit durissimo cortici nucleum subesse? natura monstrat cibum quærere, veruntamen cibum, qui in aperto sit; hoc & Pici Martij faciunt, vt reddito per-

cussæ arboris sonitu, cibum inesse intelligant. Quale illud Corui ingenium? qui sitibundus nulla in propinquo comperta aqua, cùm in situlam monumenti pluisse cerneret: nec auderet in situlam descendere: visus est lapides congerere in tantam altitudinem, quæ potaturo sufficeret. Ascribamus (si placet) naturæ: ascribamus necessitati, quæ rationi ascribenda sunt; dicamúsque illam, Deam à Poëta dictam, cui cæteri Dij succumbunt, ingeniosas vel alites, vel quadrupedes in his facere, quæ potus, quæ cibi sunt: etiámne Gallinæ, sicuti naturali quodam instinctu pullos quum excluserint, pennis, ne frigore lædantur fouent? sic à natura, non ratione ductæ, aduersus flagrantis Solis intemperiem, corporis sui vmbram opponunt? quid quæ aliò, quàm ad vitam spectant? Attestabatur Mutianus ter Consul, vidisse in prætenui ponte, ab vtraque ripa duas Capras aduersas incedere, in medio pontis obuiæ factæ, dum vlteriùs progredi nequirent; nec pontis gracilitas daret, vt circumagerentur, ad hoc subterfluens rapidus amnis in exilitate cæca, retro eundi, longo præ-

ſertim ſpatio deterreret, procubuiſſe alteram, locum ſuper gradiendi alteri dando. Idem aiebat, Puteolis vidiſſe Elephantos, qui de naui egredi cogebantur; territos interuallo pontis procul à continente porrecti; auerſos incedere, quò ſe oculorum aſpectu fallerent. Vulpes congelatam aquam tranſituræ, aure appoſita, gelu craſſitudinem coniectant, vt ſciant quàm ſufficiat ponderi. Equorum ingenia iaculantes experiuntur, difficiles conatus corpore ipſóque nixu imitantium, intellectúmque adhortationis, & gloriæ fatentium. Cuinam parti dabo, quæ de quodam paruulo meo Cane referam? cuius de me ſolicitudinem referebant familiares, nunquam aliquò proficiſci contingere, quin ſeptem perpetuos dies mœrore confectus, cibo abſtineret: hic in aula opperiente me Pompeio Richerio egregio ciue, dum veſtem in diſco poſitam, dum alibi chirothecas in ſcamno cuſtodire vellet, ambulanti veſtem verſus, ad veſtem decurrebat, rurſus ad chirothecas eadem ſedulitate remeabat, donec in diuerſa curſitando feſſus, ſuo labori conſuluit,

chirothecas dentibus prehensas ad vestem deferendo. Hunc in Germania nactus: quo tempore apud Ferdinandum Regem Clementis Septimi oratorem agebam,& erat mecum Onophrius Rorarius sanguine iunctus, eximia probitate iunctior, qui canonicas mecum orabat, quas dicunt, horas: aduertebam canem non priùs loco moueri, quàm orandi fine facto, beatæ Virgini dicatam salutationem dici audisset; tunc surgere, tunc blanditias quàm maximas ferere; mirabar qua ratione sciret orandi finem factum, suspicabárque non aliunde coniectare, quàm quòd eam salutationem genu nixi dicimus, & erat nihilominùs dignum, actum illum aduertere,& meminisse: periculum facturus, iubebam postridie sub lectuli culcitra abscondi, tamdiu sopitus manebat, donec eadem salutationis verba proferri audisset: tunc solito blandiendi more exiliebat. Superat omnia, quæ de alio quodam asserere possum, è Barchinone abduxeram in hospitalibus ædibus ortum, non alia de causa, quàm quòd risum nobis excitaret: lugubres vestes ob Maximiliani

obitum deferentibus, oblonga (vt moris est) cauda, quam pueri deferunt: ipse pueri vicem obire nitebatur. Anno ab hoc tertio, Ferdinandus Caroli frater, in oppido Lincio desponsauerat Annam Ladislai Vngariæ Regis filiam, virginem forma, probitatéque incomparabilem; accitus à fratre in Belgas properabat, sequebamur inita societate Stabius, & ego: Stabius, qui ob multiplicem eruditionem Maximiliano pergratus fuerat; præmittebatur famulus, qui hospitium disponeret, hunc sequebatur Canis; inuento hospitio, non, vtique famulo assidebat potationi dedito (erat quippe Germanus) quin ad ædes decurrebat, in quas Princeps diuersurus erat, nostrum aduentum obseruans, venientes ad præscriptum hospitium ducebat: quis huius officij monuerat? aut vnde sciuerat nos, à Principis latere non recessuros? quis porro monstrauerat ædes Principis hospitio dicatas? ex commeantium, atque exeuntium frequentia suomet iudicio coniiciebat; neque hoc semel factum, sed diebus singulis, toto itinere, stupente prorsus Stabio. Atqui hic idem altitudine exi-

guus, toruo capite, cruribus breuibus, verùm quæ grandi suffecissent, maculis fuluis & albis distinctus, truncatis auribus, cauda mutila cæteris turpior, quàm quibus coloribus pinximus: in Cæsaris tamen, atque fratris, & aliorum Procerum notitiam venerat, nunquam non à ianitoribus intromissus, Curtaldi nomine, quo Gallico idiomate præpingues equi cauda, & auribus mutili dicuntur: rectà ad Imperatorem ibat, succinctíque gladij cuspide, prurientem auriculam, ridente Cæsare scalpebat, eadem risus, & notitiæ causa in Ferdinando erat. At non eadem in Margareta, vtebatur hæc medico Ioanne Maria Cataneo Salodiensi, qui ob perspicax in ea arte iudicium, eruditionem, & eximiam quandam comitatem, patri Maximiliano mirè charus fuerat; cum hoc mihi hospitij & veteris necessitudinis ab illo vsque tempore ius intercedebat: itaque si quando aberrasset canis, regiam petebat Cataneum saltem indagaturus, sedebat distentis tapetibus, desuper iniectis puluillis Regina, multis circum stipata virginibus, nullam tanto è numero accedebat, præter

Principem ipſam, ſublatóque crure dilatatam veſtis caudam roratim perfundebat, cum cachino ſciſcitante Regina cuius foret, Catanei Medici referebant; alius, qui non turpis extitiſſet, millies eiectus fuiſſet, vbi is nullius rei apparente gratia, iniurioſus potiùs, quàm officioſus, cum plauſu admittebatur. Quare in mentem mihi veniebat, quàm ſæpe apud Reges, hominum monſtra alerentur, neque alerentur (iſtud enim cum belluis commune fieret) ſed in deliciis haberentur: recordabátque apud Leonem Decimum, vidiſſe Serapicam; apud Clementem Septimum, Baliuum, qui tantum à literis aberant, quantum à moribus, nulla prorſus virtute præditi: vtpote quorum alter apud Sanſeuerinum Cardinalem canum curam geſſerat: alter Portuenſi inter Vicentinas familias clariſſimæ à pedibus inſeruierat, facie, atque corpore fœdiſſimos ambos (ne quis fœdiùs interpretetur) & cæca tamen Principis gratia, ad tãtas opes deueniſſe, vt ſingulorum annui redditus decem aureorum millia penderent. Cuius in memoratorum pectore rationi locum fuiſſe dicemus?

mus? in ipſiſne quibus præter adulandi & lenocinandi peritiam, nihil humani fuit? An in Pontificibus illis, qui poſthabitis multis doctis, & de ſe benemeritis, iſtiuſmodi nebulonibus delectabantur? Atqui & belluæ adulari norunt, atque lenocinari, ne hanc præclaram gloriam ſibi ſolis homines vindicent. Cæterùm expediam priùs auium ſolertiam, & ingenium oſtendere. Picæ diligentiùs inſpectum nidùm ſuum ſentientes, aliò transferunt oua, & quoniam earum digiti complectendis, transferendíſque accommodati minimè ſunt, ſurculum ſuper bina oua imponunt, ſuóque ſtercore conglutinantes, media ſuppoſita ceruice, æqua vtrinque libra aliò deportant Perdices, in quo loco peperere, non incubant: ne frequentior conuerſatio ſit ſuſpecta, ouáque aliò, atque aliò transferunt, ſuoſmet maritos fallentes, ne libidinis, cuius impatientiſſimi ſunt, intemperantia frangantur. Poteſt homini maior aſtutia ineſſe, quàm Coturnici? cuius ad nidum ſi cœperis accedere, procurrit ad pedes, prægrauem, aut delumbem, ſe ſimulans; ſubitóque in procurſu, aut

breui aliquo volatu cadit, quasi ala fracta, aut altero pede clauda, tardique cursus vana capiendi spe sequentem frustrans, à nido procul abducit; donec pauore libera reuocante materna cura, in sulco resupina, terræ gleba pedibus apprehensa se operit. Verumenimuerò quid opus singula perquirere? qui volucrum ingenia pernoscere vult: contempletur qua arte nidificentur Hirundines, si luti copia desit, pennis aqua perlutis puluerem madefaciunt, eóque in luti locum vtuntur, nidum stramento roborant, mollibus plumis, & floccis sternunt: ne frigidior fouendis ouis, ne durior natis pullis sit, in agris diuersa figura nidos confingunt, supinos, porrectis in angustum faucibus, vtero capaci, qua peritia occultandis pullis, qua substernendis molles. Quid? in Heracleotico Ægypti ostio, euaganti Nilo inexpugnabilem molem opponunt, continuato opere vnius fermè stadij spatio: quod humanæ manus vix perficere possent; vnde futurum incrementum Nili diuinarunt, nisi quod longo & memori experimento didicere? ergo præteritorum memores præsentia ponde-

rant, & futuris medentur, quæ ratione non natura fieri, nemo inficiabitur. Pari prudentia quæ nidos in ripis faciunt, in speciem pilæ absoluunt, ne aditus inueniri queat: & Picæ suos in cyathi modum arboribus suspendunt, ne qua illuc bestiola repat: quæ verò ramorum tabulata sustinendis nidis adeò prouidè eligunt, vt densa camera & frondes ab imbre defendant: palam faciunt non natura id agere, sed prudentia, quæ à ratione seiuncta esse non potest. Perdices corporis pondere prohibitæ, sublimia petere, sua in terris cunabula faciunt mira sedulitate, incredibili sensu, aduersus feras frutice munientes, spinis vallantes, stragulum ouis molli puluere cumulantes. Quàm vellem, inquit Cardinalis, in mentem tibi venisset istæc hodiernâ die inter equitandum disserere, multum itineris leuasses, nec Solis ardorem, nec pulueris molestiam sensissemus: Quare præcipiti iam nocte reliqua in crastinam equitationem differamus. Cum his affuere familiares funalibus accensis, Cardinalis suum in cubiculum: ipse in proximum è regione hospitium diuerti.



HIERONYMI RORARII

QVOD ANIMALIA BRVTA sæpe ratione vtantur meliùs homine.

LIBER SECVNDVS.

POSTERA luce descendebamus è colle, in quo Veliterna vrbs sita; & circumspectans Cardinalis, Vbi, inquit, sunt vrbes, quæ tametsi ruinis obrutæ, nominis celebritate adhuc florent? Antium, Ardea, Lauinium; est hæc tota regio Latina? & quousque? mihi quidem maiori ex parte palustris videtur, nec solùm infructuosa, verùm etiam morbosa. Totum, inquam, quod cernis, ab Ostia Circeios vsque, antiquum Latium fuit; à mari verò recedẽdo, non multum pro-

cessit, posteà maritima Latij ora vsque Sinuessam, quæ amantissimi mei Augustini Suessæ clarissimi huiusce ætatis philosophi patria existit. In alteram verò partem, quæ est opulentissima, atque fertilissima in Campaniam, ac Samnium, & Pelignos, atque alios Apennini incolas respice; dextrorsum in rupe quadragesimo ab Ostia lapide, situm est Ancium Volscorum, præclaris quondam ædificiis ornatum: siquidem virorum Principum diuerticulum erat, vbi vacationem nactis ocio indulgere libuisset. Inter vtramque vrbem Lauinium; super hæc Ardea Rutulorum, cui propinqua fuit Veneris ædes, in qua Latinorum conuentus celebrabantur, sed hæc equitando meliùs oculis lustrabimus. Iubes autem cœptum de Brutis animalibus sermonem ad calcem perducere? placet, inquit, ita tamen, vt sicut in fortitudine recensenda; sic in hac præclara temperantiæ virtute, aliâ, quàm Plutarchus, incedas viâ; non videlicet temperatiores hominibus feras esse demonstrando duntaxat, quia statis temporibus suo quæque in genere misceātur, totum hoc naturæ tribuendum;

illud rationis proprium fuerit, ostendere etiam quæ sui generis non sunt, belluas appetere, & ab his abstinere, ne naturæ legem violent. Non enim est temperantiæ ab his continere quibus animum non appuleris; & præfixis à natura terminis non excedere. Rectè inquam; sed cui dubium, animalia diuersi generis inuicem misceri? omittamus vulgatum illud, semper aliquid noui Africam afferre; quod non aliunde originem haurit, quàm quia amnium raritate ad vnum diuersi generis feræ congregatæ, quam sors obtulerit, ineunt, & inde monstruosi eduntur partus; posset tamen hoc stimulante libidine necessitati ascribi; quanquam quid obstat inter multa vnumquodque quod sui generis fuerit, quærere? Sed omittamus testem citare Africam; quid tam inimicum, quàm canes, & lupi? qui nunquam desinunt inuicem insidiari. Proximum est patriæ meæ Sacillum oppidum (in quo doctissimus Franciscus Amaltheus publico stipendio humaniores litteras profitetur, cuius sub ductu pueritiæ meæ rudimentum deposui) amœnum flumine, pri-

uatis ornatum ædificiis, ciuium nobilitate conspicuum: extra mœnia monasterium est diuæ Virgini dicatum, viridario clausum, tribus ex partibus alluente flumine, visu periucundum; vnde noctem non intermittebat Canis, quin in certamen cum lupis egrederetur, nec ab altera parte cessabatur, ceu mutuo conuenissent præfixo dimicandi loco, res acriter vtrinque gerebatur, sæpè saucius Canis redibat, sæpiùs hostili sanguine perfusus: accidit semel vnius monachi negligentia, qui ferreis mucronibus munitum torquem in pridiana pugna fractum, artifici aptandum dederat, incustoditum canem relinqui, dearmatúmque in nocturnũ certamen prodire, vbi à quatuor lupis, qui in eius necem coniurauerant, multis plagis confectus occubuit. Sunt profectò exitiosa inter illos odia, & neutris eorum non marium, non fœminarum copia deest; & nascuntur tamen ex illis, quos Lyciscas vocant.

Nonne ego te vidi Damonis pessime captum
Excipere insidiis, multum latrante Lycisca?

Quæ acerbiora, & perpetua magis odia reperiuntur, quàm inter Feles & Canes?

domi tamen nostræ inuentus est Canis, qui Felem iniret, & quidem grandior, quàm par erat: dabam tunc operam humanioribus litteris sub Sabellico eloquentissimo viro. Blanca mater religiosa mulier, monstruosum abominata fœtum, flumine mergi iussit; referebat posteà editos catulos ab vtroque similitudinis quædam traxisse; haud rectè recordor, felinis pedibus, cætera canes, an caninis reliqua feles; ipse ego vidi inter se lasciuientes, & modò felem submittentem se cani, modò canem feli, toto capite ore sumpto ludibundum trahere. Maius aliquid affero: Belluas non solùm, quæ sui generis non sunt, appetere; verùm etiam homines adamasse. Elephas memoratur in Ægypto puellam corollas vendentem dilexisse; ac ne quis vulgariter electam putet, Aristophani celeberrimo Grammatico mirè charam: alius vnguentariam quandam: alius iuuenem Syracusanum in exercitu Ptolomæi Regis, amoris indicia fuere gaudium conspicientis, inconditæ blanditiæ, stipes, quas populus dabat, seruatæ, & amatæ in sinus effusæ. Octauio Cæsare imperante, Delphinus

pauperis cuiusdam filium deperibat; nulla præterlabebatur hora, in qua Simonis nomine, quo plurimùm gaudent, vocatus à puero quamuis latens, non protinus aduolaret: è manu pueri pastus, ascensuro dorsum præbebat, conditis priùs pinnæ aculeis, ne quam offensionem puer acciperet: inde per medium æquor ex Baiano littore, Puteolos in litterarium ludum deferebat; simili modo pluribus annis reuehens, donec puero morbo extincto, ad consuetum locum subinde veniens, tristis, & mœrenti similis, ipse quoque extinctus est. In Iasso vrbe fertur alius sic puerum deperisse, vt abeuntem in littus auidè sectando, in arenam inuectus expirauerit. In eadem vrbe alius puerum amauit maria sulcare gaudentem, quem cùm repentinæ procellæ fluctibus exanimassent, cadauer retulit, caussámque lethi se fuisse fatendo, non ampliùs in mare reuersus in sicco expirauit. Anser amauit formam pueri: quin & puellam Ptolomæo Regi cythara canentem, cui eodem tempore riualis in amore erat Aries. Fuit & qui amore tactus perpetuus comes adhæserit Lacydi

ctâ viâ ad litterarum gymnasium duceretur : itaque spatiatu gaudens, per amplum æquor vehebatur, eruditioni deditus, omisso lasciuiendi solito illius piscis more, ad scholam deferebatur: quid sui ipsius cognita culpa, & secuta damnatio? qui cùm futuræ tempestatis maximè præscij sint: simplici, & inexperto puero, in vitæ discrimine indulgere minimè debuerat. In quibus igitur, inquit Cardinalis, feræ, hominibus temperatiores sunt, si suo genere non contentæ, aliena appetunt? nec aliena tantùm, verùm homines, à quorum natura tantopere absunt? in illo inquam, quòd amores quidem sequuntur, agendi modum deserunt, & abominantur, rectum à prauo, honestum à turpi discernentes: in illo præterea, quod quemadmodum dixisti, stata coëundi tempora habent, nec post conceptum, fœminæ mares, non mares fœminas sequuntur; solis hominibus non veris, non æstatis, non autumni, non hyemis, non diei, non noctis discriminata sunt tempora; mares grauidas, grauidæ mares appetunt, nulla vnquam futura satietate. Messalina Claudij digna orbis

imperio mulier, quando è prostitutis in certamen prouocabat: palmámque retulit, quinto & vicesimo concubitu victrix, ac triumphatrix.

Respice riuales Diuorum; Claudius (audi)
Quæ tulerit, dormire virum quum senserat vxor,
Ausa Palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos,
Linquebat, comite ancilla nō amplius vna,
Et nigrum flauo crinem abscondente galero,
Intrauit calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam, atque suam: tunc nuda papillis
Constitit auratis, titulum mentita Lyciscæ,
Ostendítque tuum generose Britannice ventrem,
Excepit blanda intrantes, atque æra poposcit:
Mox lenone suas iam dimittente puellas
Tristis abit: sed quod potuit tamen, vltima, cellam
Clausit, adhuc ardens rigidæ tentigine vuluæ,
Et lassata viris, nondum satiata recessit.

Considera quàm parua in priuatis, quan-

do nulla in imperatoriis istius turpitudinis verecundia: sileamus interim fraudes, laqueos, dolos, qui miseris maritis nectuntur; sileamus venena, quibus inuicem insidiantur.

Faciunt grauiora coacta
Imperio sexus: minimúmque libidine peccant.

Itaque tot cædes tam immanes eadem de causa inter homines patrantur. At Elephanti non solùm adulteria non norunt: verùm etiam sentiunt istius actus turpitudinem; quoties etenim fœminis miscentur, non antè ad suorum agmen reuertuntur, quàm se flumine abluerint. Columbæ non fœminæ, non mares, alienos concubitus experiuntur: quamuis doctus ille Poëta, haud doctè de impudico adultero cecinerit.

Perambulauit omnium cubilia,
Vt albulus Columbulus Dionæus.

Communem seruant domum, nec deserunt, nisi cœlebs aut vidua; nos eò impudicitiæ labimur, vt fermè nullis magis, quàm coniugatis delectemur, vnde fit, vt amarâ zelotypiâ dies & noctes torqueamur; & tamen tantum à ratione absumus, vt spectari vxores nõ-

ſtras gaudeamus, & ad choreas impudiciſſima nempe lenocinia ſubinde mittamus. Leones coïtum Pardi, in adultera odore ſentiunt, totáque vi conſurgunt in pœnam: quàm multos in noſtris reperiemus (vt denuò pudendi Satyrici carmine vtar)

Doctos ad calicem vigilanti ſtertere naſo.

Quibus quanto ratione præſtant aſini ſylueſtres? qui præterquàm quòd ſingulis fœminarum gregibus duces apponunt; natos quoque mares ſi naſcentibus interuenerint, morſu caſtrant, libidinis æmulos metuentes. Iidem Columbi, à quibus adulterij ſuſpicionem abeſſe diximus, ſic ſuis imperant, vt pleno querelarum gutture, ſæuíſque roſtri ictibus immeritas diuerberant: hæc non eò dicimus, vt quis immeritas coniuges plectat, ſed vt illis ſic dominetur, quemadmodum ſuis ipſi Columbi ſolent, qui in ſatisfactione iniuriæ oſcula mitia iungunt, crebris pedum orbibus adulantes, parturienti ſolatia, & miniſteria exhibent, ſobolis curas æqua lance diſpertiunt, pigriùs ad pullos intrantem caſtigant. Piget referre quàm multi hominum

ſint, qui ſpreto coniugali amore, neceſſitatibus omnibus circumuentas vxores, ſub ipſum pariendi tempus linquant; etiam dotalia, quæ ſecum attulerint, cum aleatoribus, cum ganeonibus, cum meretriculis helluantes: & ne viros duntaxat incuſemus, capiant à nobis & mulieres, effrænis libidinis ſuæ promeritam laudem. Nouimus, quæ relicto marito, relicta multiplici ſobole, abeuntem adulterum peregrè eſt comitata: nouimus vicini oppidi Coneglani cuiuſdam non amorem veriùs quàm amentiam; egregiâ formâ non obſcuris orta parentibus, vidua cum duobus venuſtis filiolis relicta, ſtabularium famulum pluſquàm ruſticum, facie fœdum, ſtrumarum cicatricibus quaſi mancipium ſtigmatibus inuſtum, eſt ſecuta: plúſque inflammata libido valuit, quàm viuentium parentum pietas, quàm dulcium filiorum charitas, quàm ſui ipſius, totiúſque familiæ decor: & has rationis participes feras, quæ nullo periculo, nullo terrore, à dulcium pignorum tutela abiguntur expertes rationis eſſe dicemus? In omni profectò ſce-

lere, belluis nocentiores homines ſunt; hi namque, non belluæ, in vtroque ſexu Veneris inuenerunt diuerticula, quò nil flagitioſius dici poteſt. Teſtantur litterarum monumenta, fuiſſe gregis cuſtodem, qui equum vt matrem iniret, nunquam inducere potuerit; & quoniam ambo eximiâ ſpecie erant, fraude tandem illuſiſſe, velatis oculis, ne matrem videret: detracto poſtmodum operimento, & agnito cum matre concubitu, petiiſſe prærupta, & ſe patrati ſceleris reum peſſundediſſe. Maris hæc virtus; alibi fœminæ; ſiquidem in Reatino agro equa lacerato priùs aurigâ, qui flagitij auctor fuerat, eundem exitum habuit. Pondera nunc homines; Poſſum non vnum item & alterum, ſed Ciuitates totas citare, quæ pro ludibrio tenent conſanguinitatis iura tueri; duobus exemplis nefandi ſceleris plenis contentus abibo. Adriano Sexto Pontifice, Romam venit ex Hiſpaniis adoleſcens, à Sacerdote coactus ſuum flagitium per vrbes, per vicos, per compita prodere; lachrymabundus admiſſum inceſtum vulgabat: ſequebatur ſcelerata mater, quæ ſimplicem ſeduxerat

rat iuuenem, veritatem dicere confirmando: & ne fœminæ rationis pondere ſemper carentis, cæcam libidinem tantummodo culpes, accipe & viri. Quindecim eram annorum, quum Patauium ad ius ciuile diſcendum miſſus fui; quam iuris ſcientiam mirè oderam, ſed cogebar Fratri parere; Fratri, qui orbum parente à primis annis educauerat, & quem ego patris loco venerabar, licèt moriens neque filij, neque fratris loco habuerit, alieno inſtituto herede, ad dignitatem per me potiùs prouectus, quàm vlla iniuria laceſſitus. Ibi paupercula cuiuſdam Sartoris filiæ primis amoribus captus viuebam; cuius forma qui genuerat pater æquè impulſus, abſente coniuge, renitentem, ad necem propè diuerberauit; hoc initium doloris puellæ, hæc reuertenti matri obitus cauſa fuit, acerbo nuncio vitam præripiente; qua opportunitate oblatâ, diuini atque humani iuris violator, ſimulato peſte obiiſſe, cuius ſuſpicione ciuitas laborabat: domi (vt eſt in tali diſcrimine mos) occludi ſe curauit, infelix Puella ab Iudice interrogata, cur vim non detuliſſet, negabat paternæ necis

auctorem existere potuisse. Ergo belluæ, huiusmodi abominandum crimen admittere fugerunt, & fraude seductæ, morte luerunt, indignas se vita iudicantes; à quo crimine, non deceptus homo, non coactus, suæque penitus spontis temperare non valuit. Prodigiosum, inquit Cardinalis, scelus, & eorumdem sanguine piandum: nec illorum minus, qui Deo dicatas virgines suis incestibus polluere tentant: quibus omnibus non potest non adempta ratio videri. Sed nunquid opinaris potuisse animalia bruta, cognationis intellectum habere? possum, inquam, suspicari, nam in gregibus cernere datur iuuenes equos, prioris anni sorores libentiùs comitari, quàm matrem, non quidem educationis memores (valeret hoc in matre) verùm quòd sororum custodes esse cupiunt. Sunt igitur belluæ temperatiores hominibus, & ne dubites adhuc quasi natura, non ratione desinant ab iis, à quibus se continere debent, qui ratione vtuntur: scito ne lenocinia quidem inter illas deesse, quæ animum labefactant, & à rectâ abducunt semita. Erat mihi in oppido Belzio Erasmi

Strembergeri Canonici tui, & amantiſſimi mei optimi viri patria, Catella ex earum genere, quas Setinas vocant, hæc ſtato anni tempore, ad libidinem excitata, nunquam tamen à meo latere recedebat, legerem, ſcriberem, in diſco ſemper cubabat, præſertim ſi daretur in bireto (adeo parua erat) circumuoluendo ſe: qua in re animaduerſione dignum erat, quòd cùm inter contubernales forent qui purpureo, quíque veluteo vterentur; pretioſioris æſtimatione facta; aduersùs Plutarchi ſententiam, qui negat animalia bruta rerum pretiis commoueri, à viliore in pretioſius tranſibat: erat in eiſdem ædibus fœta hoſpitis canis, quæ primo diluculo patefacta domus ianua, lenæ vice fungens, canum turbam ſecum adducebat. Et videmus profectò quoties concipiendi tempus aduenit, ad vnam multos vndique conuenire, non odore allectos, quando & quæ intra domeſticos parietes ſeruantur, ſuos aduentores, ſuos procos, ſuos amatores & riuales habent: quàm rem & lupos facere videmus, vt ſub ipſum concipiendi tempus, ad vnius vocem denunciantis lu-

pam adesse, vndique concurrant ceu, inquit Cardinalis, loqui, ac se mutuò intelligere norint. Ecquid, inquam, aliud reris? cùm non eodem semper latratu vtantur canes, vario barritu elephanti, diuerso rugitu leones, nunc hoc, nunc illo vlulatu lupi: & si nostros sermones intelligunt (quod inficiabitur nemo) cur non mutuæ alicuius intelligentiæ notitiam habere credendum est? Experimur istos nostros familiares Canes, quæ ad ipsos proferimus, verba percipere: diximus leonem precantem mulierem intellexisse: retulimus elephantem in exercitu Antiochi Regis audito de futuro principatu edicto, se repentè in flumen immisisse. Miserat Emanuel Lusitaniæ, dignus memoria Rex ob propagatam Rempublicam Christianam, Leoni Decimo Rhinocerotem, Capram Indicam, Elephantem: referebant ductores non priùs Elephantem in nauem intromitti potuisse, quàm audito ad orbis Christiani Principem duci, & dato de reditu iureiurando: viditque tunc Roma longo pòst tempore, quæ forsan legendo minus crediderat, incon-

ditos motus ad imperium agentem, stipem, quæ per vicos transeunti porrigebatur, suo rectori reddentem, haustam proboscide aquam tamdiu seruantem, donec in mulierem aliquam earum, quæ è transenna prætereuntem spectabant, effundere iubebatur: quin in sacratissimi Corporis Christi solemnitate, Pontifici cum pompa transeunti, genua submittentem, & quo ritu sciret, adorantem. Pisces neque membra, neque foramina auditus habent, memoratur tamen fuisse in piscinis Iulij Cæsaris quædam piscium genera, quæ ad nomina venirent: retulimus Delphinum Simonis nomine vocitatum, adesse: De Auibus referre minus mirum fuerit, quæ laborant vulgò etiam verba nostra discere, dicam tamen, quod admirationem afferet. Narrabat Iacobus Bannissius, cui (quemadmodum nosti) vel dicenti, vel scribenti in primis fides habebatur: vidisse apud Hispanum mercatorem Antuerpiæ Psitacum, qui Latinè salutanti, Latinè redderet salutem; multáque Hispana, multa Belgica lingua proferret: illud erat præcipuum, quod

cùm Christianæ fidei symbolum exprimere vellet, nullum intermittebat verbum vsque ad illud, *Et in vnum Dominum Iesum Christum*; si quis verbum interposuisset, omisso illo, sequens nectebat, alternis verbis dicere contendens; veluti si *Credo in vnum Deum* quispiam dixisset, subiungebat Psitacus, *patrem omnipotentem*; dixisset ille, *factorem cœli & terræ*: addebat Psitacus *visibilium & inuisibilium*; non poterat absque verborum intellectu, & percognito sensu hoc agere: quòd si aliena, & quæ ad se minimè spectant, intelligunt; cur non eorum quæ sua sunt, mutuam quandam habere intelligentiam credere possumus? Venetiis memorant (veruntamen, quia vulgi rumor, fidem non obstringimus) fuisse Psitacum, qui quæ dominam perperàm agere viderat, repetenti domum marito sedulò nunciabat; indignatam mulierem libidinem suam detegi, auis podicem acu suisse, ne violentæ mortis indicium suboleret: aduenienti de more domino Psitacum inconditè obnunciasse ferunt, culum sibi dominam suisse, nec illum, quid vellet, priùs intellexisse, quàm mortuo

Psitaco lethi causam adinuenit. Ingenio certè pollent aues, quam rem hesterno sermone satis supérque declarauimus: memoria porrò, vt in ambiguo ponam, an hoc tantum bonum largiùs animalia bruta, quàm homines sint assecuta: Siquidem Canem inducit Homerus, post multorum annorum decursa tempora, peregrè redeuntem dominum agnoscentem: longissima hercle meminerunt itinera, idem & Equi faciunt: Leo memori obseruatione in quacunque multitudine appetit illum qui vulnus intulerit: Elephas perhibetur senem nouisse, qui multis annis antè in iuuentute rexerat; quod à Dracone quoque factum alibi recensuimus. Quid tam brutum quàm Sus? cui animam pro sale datam, non illepidè aiebat Chrysippus; & suarij tamen vocem dignoscit, in suáque remeare nouit. Quod insuper cuiusdam incredibilis memoriæ indicium in Hirundine? quæ terrarum tam immensa, marísque spatia, singulis annis transuolans, reddita anni vice, in assuetam reuertitur, quid regionem? immò in eandem domum, domúsque partem, in qua priùs nidificauerit; vo-

luit experiri mater prudens mulier, an eædem essent: captæque pedem aureo filo deuinxit, eodem nexa sequenti anno reuersa est: addamus his, quo studio quæ aliena sunt ab ipsis, qua diligentia discunt. Elephas, qui tardioris ingenij culpa sæpiùs castigatus fuerat, visus est noctu eadem meditari, est etenim in illa quoque vasta mole mira docilitas, vt non desint qui autument fuisse, qui Græcarum literarum ductus didicerit, solitúmque scribere, *Ipse ego hæc scripsi, & Celtica spolia dicaui.* Vrsi apud Sarmatas in regione Lituaniæ, docentur ad tubarum sonitum erigi, & choreas imitari; reliquæ itidem quadrupedes, Equi, & in primis Canes, quorum docilitatem, præterquam quòd hesternâ die miratus es, sic vulgò nota, vt teste non egeat. Quid est cur Picæ adament verba nostra nullo sibi nec vsui, nec voluptati futura? cùm nulla delectatio familiaribus verbis nullo concentu prolatis insit: quanta intra se sedulitate meditantur, vt sæpe verbi difficultate victæ emoriantur; si quod interciderit verbum, & à docente repetatur, quo

repentè gaudio exhilarantur, quibus quæ poteſt eſſe loquacitas expreſſior? Referam Turdos, qui non ita nobis ſicut veteribus, miraculo ſunt. Non fraudabo gloria ſua Coruos, quando inuentus eſt, qui Tiberium Cæſarem, dein Druſum Germanicum nominatim, mox tranſeuntem Populum Romanum ſalutaret: quem vnius liuore exanimatum, ſic indoluit Populus Romanus, vt qui necem indignam eorum quorum virtute Romanum creuerat Imperium, neglexerint: vnius auis interemptorem morte damnarent, dignámque ducerẽt, cui celebrarent exequias; & duorum Æthiopum humeris impoſitam comitarentur, præcedente tibicine omnis generis florum corollis iactis, ad ſecundum vſque lapidem, vbi rogus ſtructus fuerat. Quo tempore Romanus eques Cornicem habebat è Bætica aduectam, colore admodum nigro, plura verba exprimentem, & alia, atque alia ſedulò diſcentem. Quòd ſi belluæ ingenio pollent, memoriâ vigent, diſcendi deſiderio accenduntur, & noſtras in primis voces imitandi; cur non credere debemus, habere etiam

quo se mutuò intelligant? Nónne videmus in Hirundinum pullis appropinquante euolandi tempore, quemadmodum cæteræ sui generis, & fortasse consanguinitate propinquæ, inuitentur ad circumuolandum, & hortandum pullos, ne paueant præpeti volatui se credere, paratas esse si deciderint, ab humo tollere: non medius fidius naturæ instinctu scire possunt, quid alibi pullorum agatur, nisi ab aliis certiores priùs factæ; quæ namque istæc cura foret, suos nidos vt deserant, alienos vt visitent? illæ mehercle vicinitate, aut sanguine iunctæ, à pullorum parentibus monentur adoleuisse suos, & in educendis alienâ ope indigere; hinc illa circumuolitantium frequentia, hinc illa assiduitas stridula modò voce excitantium, modò rostro pungentium, volatúsque crebrò docentium. Quæ res fidem facit, vera fuisse, quæ de Apollonio Tyaneo traduntur; eo videlicet cum discipulis in pomœrio ambulante, aduolasse Passerem, solitáque garrulitate aliis passeribus quidpiam nunciasse; repetito mox volatu, sequentibus illis abiisse; conuersum ad discipulos

Apollonium dixisse, cecidisse asinum, qui milium deferret, ruptóque sacco prorupisse milium, idcirco aues ad cibum inuitatas; iuisse discipulos, & rem non secus, quàm Apollonius dixerat, inuenisse: huic sententiæ ascribebat Melampodes, asserens Draconem quendam aures lambendo, intelligentiam sibi sermonis auium dedisse: & referebat Democritus Abderites aues quarum confuso è sanguine serpens gigneretur, quem si quis gustasset, intellecturus esset auium colloquia. At qui nullum ab iis verbum exprimi videmus? idem nobis contingit in ignotis, atque barbaris linguis, vt verbum à verbo minimè secernamus. Musicam in magnâ gloriâ habuerunt Græci, summam eruditionem in ea ponentes; & dubio procul adeo propria est hominis, vt sint qui putent animam nostram harmoniam esse; musica (ne quid quod hominis sit desit) delectantur belluæ. Cerui pastorali fistulæ aures arrigunt: Delphini lira & fidibus mulcentur, quæ res Arioni Cytharœdo saluti fuit. In auiariis, quæ voluptatis gratia fiunt, (quale amœnissimum in

ædibus meis cernitur, æreo ex rete, etiam desuper clausum, iuniperis, buxis, ligustris, cæterísque virgultis longè conspicuum) inclusæ aues non vnius generis, diuersi prorsus cantus concordant, suauissimum edentes concentum. Quid autem, quæ intus hyeme seruantur in habitatione à frigore tuta, igne fornaci incluso algoris sæuitia mitescente (quæ apud antiquos Italiæ populos in vsu non erat, nec nunc etiam ferè est; vos Germani frequentes vtimini, & ipse diu inter vos assuetus, percommodam iudicans, carere non possum) pendent è laqueari virentes ramusculi, diúque viriditatem seruantes, frondibus buxo non dissimilibus, inter quasi totidem margaritis ad viscum natis: quos ramos vetustæ pomi, piríque, luxuriante humoris copia ferunt; in hos seruatæ aues volitant, & est operæpretium cernere, vt albescente die in vnum conueniant; exceptâ, quæ veluti musices magistra, & artifex, reliquis cantus initium dat, eam sequuntur reliquæ mellifluam cantilenam edentes: finito concentu, ad cibum vnanimes abeunt, non

to die vt antè reuerſuræ, aliæ alios ramos petunt: è quibus denuò concinunt, veluti iam edoctæ, quam earum quælibet vocis, cantúſque partem, tenere debeat. Quid verbis opus? in vna auicula totius muſices ratio continetur, quam ars noſtra tot & tam diuerſis inſtrumentis excogitauit: plena, grauis, acuta, crebra, extenſa, vibrans, ſumma, media, ima, in qua diſcenda, atque exercenda, operæpretium eſt animaduertere, quâ diligentiâ meditentur verſus, quâ futuri cantus experientiâ verſus viciſſim reddant, quâ patientiâ reprehenſæ emendationis correctionem intelligant, & vt vario licèt inter ſe cantu, ſuo tamen omnes contentæ ſint, alienos non excipiant, neque imitentur. Quamobrem eſt cur mirer, diligentiſſimum alioqui naturæ rerum ſcriptorem, atteſtatum reliquiſſe, Titum, atque Domitianum eodem tempore habuiſſe Luſcinias doctas Græcè, & Latinè: illæ verò ſingularem cantus ſui excellentiam agnoſcentes, contemnunt reliquas omnes, non verba noſtra appetunt, nedum aliarum volucrum, vt imitentur: quanto ra-

tionis capaciores, quàm nostratium nonnulli, qui vernaculam linguam verè vernaculam, à vernis Gotthis & Vandalis ortam, Latinæ præferre audent: cuius maiestate amissum orbis imperium, ob eam vnam non de possessione penitus deiecti, adhuc retinemus. Veteres (aiunt) Romani suam quæ barbara fuit, excolendo, meliorem Græca, & copiosiorem reddiderunt; idem nobis laborandum, vt nos, nostrámque à barbarie vindicemus. Quam tandem tuam? aut, à qua barbarie? Latinè loquebantur omnes: suáque virtute iugum cæteris nationibus imposuerunt; Patres nostri eorum progenies, tantùm ab illis degenerauerunt, vt non sat fuerit suâ ignauiâ pati barbaros iugum detrectare: nisi suis insuper dissensionibus inuitarent ad occupandam Italiam: nos digni patribus filij, non sat habuimus insultantem Gallum, deprædantem Hispanum, helluantem Germanum ferre; nisi perfidum insuper Turcam, in nos debacchantem læti intueremur. I nunc, & te Romanæ stirpis propaginem iacta: ab his nempe barbaris hæc lingua,

quam veluti filiolam exoscularis, originem hausit; qui cùm Latinè loqui vellent, nec possent eius excellentiam magis exprimere, quàm Sturni nostram solent: præclaram istam, quam Latinæ (si Deo placet) anteponis, condidere. Romani non vanis amoris cantionibus, sed disciplinis omnibus, quæ liberales dicuntur; quia homine libero dignæ, sermonem patrium ditarunt. Itaque in conuiuiis non fictæ mulierum næniæ canebantur, sed quæ plena eruditionis erant.

Cythará crinitus Iopas
Personat auratá; docuit quæ maximus Atlas;
Hic canit errantem Lunam, Solísque labores:
Vnde hominum genus, & pecudes; vnde imber, & ignis,
Arcturum, pluuiásque Hyadas, geminósque Triones,
Quid tantum Oceano properent se tingere Soles,
Hiberni: vel quæ tardis mora noctibus obstet,
Ingeminant plausum Tyrij, Troésque sequuntur.

Et meritò quidem ingeminant plausum, non vtique fictas virorum, atque mulierum vanas collocutiones, sed sobriis, sed doctis, sed purgatis auribus digna recenseri audientes. Apollonius Molo cùm audisset Ciceronem orantem, non vtique admiratus est exquisita verba, neque linguæ volubilitatem adimi Græcis ingemuit; sed artem, sed oratoriam vim, quæ sine multarum artium doctrina consistere non potest: Vbi ego in ista eximia tua vim illam sentio, quam apud Græcos Demosthenes arte suâ conatur? vbi, quæ apud Ciceronem fluit illaborata? vbi inquam maiestatem, numénque illud? relege istorum libellos: qui istâ scripsere linguâ, nil nisi Cupidinis faces, nil nisi amantium, an ne amentium gemitus, lachrymas, & vana suspiria inuenies, nil denique nisi Milesias fabulas; & tantum quidam rationis amiserunt, vt ætatem absumant in transferendis Latinis auctoribus, credo cerdonibus, laniis, & olitoribus placituris; ignari ad hoc, quodcunque vna è lingua in aliam transtuleris, non eundem seruare leporem. Cæterùm fac,

quæ

quæ longè diſparia ſunt, paria omnia: Romani fines Imperij ab Oriente in Occidentem Solem propagantes, ſuam dilatarunt, & (vt ait ille) quaſi optimæ frugis ſementem mortalibus diſpertiti ſunt: nec vlla tam barbara gens, tam auerſa noſtris moribus exiſtit, quæ non legat Latina: tu, qui Italiæ, nedum Orbis, imperium amiſiſti; tu cuius ceruices premunt Germani, Galli, Hiſpani, nec hi ſatis, niſi in te concitetur Turca; quâ ſpe, quo vultu, quibus tandem efferes terminis? legent hæc tua diſſonæ linguis innumerabiles nationes; immò nec tota Italia plures in linguas diuiſa, quàm ipſa vnquam Græcia fuerit; eueniet tibi, quod ſibi diuinauit Perſius,

Min tu? nemo hercule nemo,
Vel duo, vel nemo.

Deſinant (dices) ignari legere: ipſe me à barbarie vindicaſſe gloriabor: ô callidos homines! ô rem excogitatam! ô ingenia ſuſpicienda! an quod tibi tua in lingua licebit, vt eam exquiſitiùs colendo à barbarie liberes; idem Germano, idem Pannoni, idem Sarmatæ, idem reliquis tam variis, tam barbaris nationibus non licebit? vt ſuam iti-

dem ornent, poliant, emungant? ecquid scis an id hodie quoque sedulò conentur? atqui memini vidisse apud Maximilianum Cæsarem duos, quibus à Secretis vteretur, nullam præterea, quàm Germanicam linguam callentes; Nicolaum Ciglerium, quem in copioso Ciceronis dicendi genere dominari; Gabrielem Foctem, quem cum Sallustio Crispo in illo breui regnare dicerent: quòd si sua in lingua tantopere pollent, ídque illis licet, qui erunt barbari? aut quæ lingua concinnior? quæ copiosior? digladiaberis cum barbaris, tibi tua pulchrior, illis sua melior videbitur, sublatâ interim mutui inter vos sermonis, magis, quàm inter belluas intelligentiâ; imitabimini procul dubio Simias, quibus sui catuli pulchriores cæteris videntur, eáque ratione tamdiu spectandos circunferunt, donec assiduâ tractatione enecent. Hercle non possum me continere, cùm videam Latini sermonis candorem, & quasi sacramentum quoddam, quod per tot sæcula tam sanctè, tam religiosè custoditur, apud peregrinos, apud barbaros, apud hostes; à media in Italiâ

natis non pollui modò ; verùm etiam aboleri ; non ob aliud, quàm ob imperitiam ; & quòd vel ad minimam eloquentiæ partem aſcendere poſſe deſperant. Qui ergo Latinus ſermo barbaras gentes liberalibus artibus ditauit, qui leges docuit, mores inſtituit, viam ad omnem ſapientiam muniuit ; quem ipſi barbari tanquam Deum de cælo delapſum ſuſpiciunt, ac venerantur, quòd illo duce videant ſe in mediâ barbarie natos ſic erudiri, vt non ampliùs barbari dicantur : hunc Itali eius alumni prauo iudicio, inſipido guſtu, ferro, igne, quacunque vi perſequentes, extinguere conabuntur.

Dij prohibete minas ; Dij talem auertite caſum.

Mihi quidem multo magis furere videntur hi noſtri noui ſapientes, quàm veteres illi ſeditioſi Tribuni plebis, qui incenſa à Gallis Vrbe, Veios migrãdum cenſebant, vt gloriari poſſent Galli non vrbem tantùm deuaſtaſſe, verùm etiam coëgiſſe Romanos deſerto ſolo patrio in aliud tranſire : dirutis namque illi, & incenſis ædificiis ſummæ populi egeſtati conſulentes, in pulcherrimam, atque

munitiſſimam vrbem, nullo impendio migrare ſuadebant: hi pulcherrimam omnium, ornatiſſimis ſtructam ædificiis linquere hortantur, & in tenebricoſam, immundam, olentem, tranſire: vt gloriari poſſint Gotthi, & Vandali, non modò Italiæ Imperium per ducentos & vltrà annos tenuiſſe, vaſtaſſe, diripuiſſe: verùm etiam coëgiſſe indigenâ abolitâ linguâ, quæ cæterarum linguarum regina fuerat, ſua barbara vti. Vides igitur quanto maior ratio in vna auicula ſit, quàm in tot delirantibus hominibus. Non dicerem, inquit Cardinalis, quàm me hæc tua digreſſio affecerit; etenim quæ iſtæc dementia eſt, vt inuenta fruge, glande veſcamur? virentem iſti amœnam, atque pomiferam arborem ſuccident, vt eius loco ſylueſtrem, atque infructuoſam plantent: vnde tanta cæcitas? cùm tamen pleroſque viderim non ineruditos idem ſentientes: qui culpâ non intelligendi Latini ſermonis excuſari non poſſunt, cùm ea demum eloquentiæ laus ſit, quanto quis dilucidiùs ſuos è pectore ſenſus depromſerit. Rectè, inquam, quin vide quantum inter vtramque

linguam interſit ; quanto quis Latiniùs dixerit, tanto clariùs ab omnibus intelligetur : hinc illud Ciceronis, nemo extulit eum verbis, qui ita dixiſſet, vt qui adeſſent, intelligerent quid diceret ; ſed contempſit eum, qui minus id facere potuiſſet : contrà in iſta præclara vernacula, quanto quis exactiùs, tanto obſcuriùs dixerit, vt ne à ſuæ quidem claſſis hominibus intelligatur : Poteſt oratio obſcurior eſſe Dantis Aldigherij ? poteſt dilucidior diuina illa Ciceronis ? Cur igitur omnium maximus Rhetor Fabius ait, ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit ; nimirùm, quia legunt verba, ſenſus intelligunt, artem tanquam in Solem intuentes, introſpicere non valent. Tales (opinor) reperi nobiles Germanos quoſdam, è tuis nempe familiaribus ; ducebam, dum Romæ eſſemus, in Bloſianos hortos ; oſtendebam marmoreum in ima valle fontem marmoreis ſedilibus circumclauſum, virentibus ponè lauris, apricum alioqui fontem inumbrantibus : ducebam inter denſas vites, per latam ſemitam

fructiferis arboribus omnis generis consitam; ascendebamus accliuem viam per syluulam citrorum immenso odore fragrantium, ad lapideas vtrinque piscinas; perueniebamus in aream, in qua Blosius meus Palladius, Romanæ vrbis deliciæ, cuius solo nomine recreor, cœnitare solet, iuxta vitreum fontem susurrantis aquulæ per simulatam fornicis rupem ductæ, rugoso è lapide decidentis Tyburtini fluminis guttis concreto; demonstrabam aduersum alium fontem per similem rupem leniter cadentem, qui ambo citros irrigarent, & vt inter vtrumque structæ parandis cibis ædes, quarum è medio tertius fons erumperet, superimpositis in theatri speciem columnis, quæ vitium vmbracula sustinerent: paruipendebant omnia. Subibamus cliuum à læua propter fontem; indicabam digito laurretum, ne volucribus vescentibus baccis cibus deesset: aiebant sic in Germania pinus nasci, quemadmodum in Romano agro citri, & lauri nascerentur; qui pinus nunquam vidisset, non illic minùs admiraturum. Perueniebamus ad ædes Blosij, ostendebam ex aduerso structum

gallinarium, lateritiis parietibus, latâ relictâ apricantibus areâ, mirabantur pauones Indicos; quâ arte cubantibus gallinis, qua anseribus aquandi, qua villico fruendi floccipendebant. Ingrediebamur cellarium inter vtramque habitationem positum, placebat summopere ducentorum vasorum capax, multóque magis funditus hausta vina: quemadmodum verò prælum in cellarij postica eminentiùs structum, in singula dolia, nullius labore musta effunderet; vt lata per medium relicta deambulatio, diuersâ à nostris ratione, in vtrumque latus pendens singula post terna vasa ex pauimento oblongas haberet foueas, quæ stillantia vina exciperent, si fortè lignea dolia rumpi contigisset: negligebant hæc, non quòd aliâ viâ, quàm per os in ventrem fundi deberent vina, sed quòd exquisitam artem non aduertebant. Ibamus inde in PisciENSES hortos, iubebam atriolum inspicere, & adiuncta cubicula, pauimenta, tectoria, cameras, picturæ variis coloribus elaboratas: egrediebamur in porticum, ostentabam imagunculas albas in albo effictas, parietes

totos, & ipſam teſtudinem ornantes tam nitido candore, vt oculorum aciem perſtringerent: vt frontiſpicium porro ſuſtinerent pretioſi marmoris columnæ, variâ formâ alternatim erectæ, hæ in arcum deſinentes, illæ quadratâ formâ, vt totidem tranſennæ viderentur, quæ frontem, quæ latera luci, & auræ peruia linquerent: Vrbinatis Raphaëlis egregij noſtri æui picturæ luminis diſcipuli doctum opus, ne quidem aſpicere dignabantur, ad proſpectum duntaxat decurrentes.

Vnde totam licet æſtimare Romam,
Et longam vallem nebulas tegentes.

In me conuerſi Piſcienſis familiares nil aliud aiebant, quàm eos non guſtare. Periculum tertiò facturus proficiſcebar in Marianos hortos: demonſtrabam topiarium, cœnacula, ambulationes, intercolumnia, vt cuncta conueſtiret hedera: reſpondebant Germanico idiomate, qui viriditatem viſere cuperet, iret in ſyluas, iret in nemora; quo audito, tuus hic nobilis, & prudens Sigiſmundus Thonus, quo non immeritò à conſiliis vteris; quid tu, aiebat, Rorari, inanem operam abſumis?

duc amabo in campos: vbi plurimæ brassicæ satæ illius præsertim generis; quæ multiplici folio in prægrandia capita durantur, videbis mirandum in modum exhilarari, & laudare magis, quàm quæ artis, & pretij, & amœnitatis hactenus ostendisti. Et profectò sic se res habet, hi nostri vernaculæ linguæ Professores, legant quantumlibet Latini sermonis eloquentissimos auctores, non vident candorem, non aduertunt artem, non denique gustant nectaris illius suauitatem; quam si qui modò gustant, qui paucissimi sunt, quia tamen ignorant ad vnguem

Descriptas seruare vices, operûmque colores,

vt ait Flaccus, & ad eloquentiam peruenire desperant, malunt Latinæ linguæ hostes iudicari, dum tantulum nomen apud indoctum vulgus aucupentur; non animaduertentes aureum eiusdem Poëtæ consilium.

Nec quia desperes inuicti membra Gliconis,
Nodosâ corpus nolis prohibere chiragrâ,
Est quoddam prodire tenus, si non datur vltrà.

Verùm, næ ego bellus homo ſum, qui prætermiſſis animalibus brutis, de quibus fuerat ſermo; orationis neruôs in illos intendo, qui quandiu in ea ſententia obſtinati perſeuerant, brutis ipſis animalibus deteriores ſunt. Oſtendamus (ſi placet) etiam ſenſibus à natura datis belluas hominibus præſtare: omittamus Aquilas, quas diximus Solis radios intueri: Quàm multa accipitrum genera ſunt altè cœlum petentium, vt oculorum aciem euadant, momentóque, & ictu penè oculi, ad quantulamcunque viſam prædam deuolant. Viennæ dederat in hoſpitium mihi Melchenſis Abbatis ampliſſimas ædes Ferdinandus Rex: quarum in poſtica horti, & porticus; vtebar æſtiuo tempore pro cœnaculo porticu, quam hyeme aſſeribus claudi iubebam, Coruos ſagitta petiturus; ad id relicta rimula, quanta ſagittam caperet: in viridarij meditullio ponebatur eſca, poſt primum primi diei iactum, Corui ſoliciti circumſpectantes veſcebantur, quaſi qui dicuntur Canes in Ægypto bibere; nunquam ſic inuiſus accedebam, vt tantulum momenti, ad emittendam

ſagittam præriperem; viſui, an odoratui id aſcribam, incertum habeo; canes certè, & aliæ quamplurimæ feræ, & ante omnes vultures ſagaciùs odorant. Cerui acerrimi ſunt auditûs, cùm aures arrexere, ſicut & cùm demiſere, penè ſurdi. Dabat hunc mihi ludum Epiſcopus Eyſtetenſis; cùm apud eum diuertiſſem; Arcis turrim aſcendebamus, ad ſonitum tympani decurrebant Cerui, non illi quidem cicures, ſeptíſve incluſi, ſed è ſyluis acciti à quinto vſque lapide, deiiciebantur poma, rapæ, faſciculi fœni, ad cadentium ſtrepitum pauidi fugiebant, repercuſſo tympano reuertebantur: & erat animaduerſione dignum, animal alioqui ſimplex, intelligere tympani ſonitu ad cibum vocari, eodem iterato deponendi pauoris ſecuritatem præberi. Quid tam naturæ cunctorum animantium auerſum, quàm Talpæ? Solem odere, ac fugiunt, quo cætera oriuntur, & orta vegetantur; intra tamen terræ viſcera condita, adeò denſo, adeò ſurdo elemento aduerſante, loquentium inſuper vocem in ſublime tendentem audiunt: & ſi quid de ipſis loquare, intel-

ligere dicuntur, & aufugere. Duobus ergo ſenſibus nos homines belluis præſtabimus, præclaris nimirum, & præter cæteros expetendis; tactu, quoniam libido nobis ſolis hominibus per omnia membra data; & guſtu: quando quæ tellus gignit, inexplebili gulæ non ſufficiunt, niſi, quæ belluoſus Oceanus fert, in eundem profundum, & inſatiabilem gurgitem coniiciamus: at neutrius tamen laude belluas priuabimus, cùm quæ ſenſus minùs participes ſunt, Conchæ, ad tactum comprimantur; & reliquæ aliæ alia eſca capiantur, eóque eligere, & aliam alteri anteponere norunt. Copioſè, inquit Cardinalis, oſtendiſti nil fermè in homine inueniri, quod non vel aliti, vel piſci, vel quadrupedi commune ſit: vnum meâ ſententiâ ſupereſt, quod in homine rarum, in belluis te nunquam inuenturum opinor; vt appetitui ratio imperet: hoc tam magnum, tam eximium, tam excellens eſt, ſolum vt hominem rationalem reddat: Quid enim præſtabilius, ac laude dignius, quàm innumeris cupiditatibus à natura ingenitis, quæ ad hoc, vel illud agendum impellunt;

temperare posse? & vt equum freno, sic furentem animum ratione cohibere? Indelebili vitio vertebatur Alexandro Macedoni, quòd vinolentâ iracundiâ impulsus, non ab intima familiaritate iunctis manus abstinebat; concoctáque ebrietate, quæ admissæ cædis causa fuerat, vino nihilo minùs indulgebat, vt qui cæteris imperare cuperet, ipse sibi non posset imperare. Multa, inquam, huius præclaræ appetitui dominantis rationis indicia, belluis data, & à nobis dicta inuenies; quæ ne repetantur, clarius omnibus vnum adhuc exemplum adducam, si vera sunt, quæ Gregorius Bartholinus Vtinensis, vir fide dignus memorabat. Is referebat interfuisse sæpiùs Cardinali Sanseuerino, solitúmque in aliqua saltûs parte considere, & duos simul ab vtroque latere Canes; transirent quantum vellent Lepores, Damæ, Cerui, Apri, perstitisse immobiles ambos, imperium domini præstolantes: altero citato nomine, & iusso feram sequi, non se loco mouisse alterum, iussionem & ipsum obseruantem: Potest homo ad aliquod vitium natura pronior impelli; quàm canis

ad persequendas feras gignitur? id illi proprium, id illi peculiare, vt visis feris se continere non queat; quos ergo non continuissent funes, non ferreæ catenæ; ratio continebat, nequid præter domini voluntatem auderent. Addam, non tam singularis admirationis, paulò tamen minoris alterum. Purliliis exiguo, sed læto, & amœno oppidulo, secundo à Portu Naonis patria mea lapide, dominatur familia Comitum veteri maiorum nobilitate illustris; inter hos fuit Iulius Morandi filius, quem adolescentem fata præripuerunt; venationi deditus, inter canum turbam solutum ducebat lupum, qui non modò canes, quibus (vt anteà diximus) à natura inimicantur, non offendebat; verùm etiam vinctâ cum illis societate pari lepores capiendi studio accendebatur. Ipse ego à Paulo tertio missus ad Ioannem, qui non æquo iure Vngariæ regnum sibi vindicauerat: vidi Budæ duos eius lupos colore nigerrimo, nullus vt pilus alterius coloris esset, catena iunctos, cætera liberos, sic inter homines, sic inter canes versari, quemadmodum videmus sagaces canes iun-

Enim binos incedere : & in his procul dubio , naturæ plusquàm sæuæ , ratio imperabat. Imitabimur bonum artificem, quamuis non assecuturi; qui supremam operi manum impositurus, addit aliquid vltra quàm quod ab initio proposuerit : dixeramus , quæ hominis sunt, in belluis inueniri , non vniuersa in singulis , sicut nec in homine omnia : nunc aliquid maius addimus , aut omnia , aut eorum maximam partem , in vno , & quidem tantillo animante reperiri. Apium corpora carent omnibus , quibus cætera animalia constant : non neruos , non ossa , non spinas , non cartilaginem , non pinguia, non carnes habent ; at habent animi dotes omnes, quas nos ipsi in nobis sæpe desideramus , sic simul degunt , sic imperant , sic obediunt, sic operantur, sic præuident , sic laborant , sic consulunt : vt mores , prudentiam , virtutem, laborem , æquitatem , cuncta denique hominibus expetenda earum vita amplexetur : lucidissimum nimirum speculum proposuit diuina Maiestas , in quo intueremur quæ, & quanta in nobis esse deberent , quorum corpora , tan-

quam carinæ ſenſus inuehunt: quando in tam paruo animali tot, tam eximia, præclara, excelſa, modis omnibus optanda reperiuntur. Iamprimum ſic viuunt, vt Rempublicam ſine Rege, Regem ſine Republica minimè probent: in quo videntur duorum principum philoſophorum diuerſas ſententias, ſapientiùs illis, in vnam contuliſſe: Iuuenem regem iuuenis turba comitatur, grandæuum ſeniores; quum verò procedit, toto agmine popularis turba ſequitur, cingit, protegit, cerni non patitur; qua in re omnem admirationem ſuperat, vt vnaquæque proxima eſſe cupiat, & in officio conſpici gaudeat: feſſum humeris ſubleuant, validiùs fatigatum portant; vbicunque conſederit, tota caſtra conſiſtunt; & ſi fortè capiatur, tenentur & ipſa, amiſſo dilabuntur, & quia ſine Rege eſſe non poſſunt, ad alios migrant; & defuncto mœrent, non cibos conuehunt, non procedunt, triſti murmure circa corpus glomerantur, &, niſi abactâ multitudine ſubtrahatur, exanimem ſpectantes, luctum non minuunt: ſi plures naſcantur reges, quamuis inuitæ enecant,

&

& nascentium domos diruunt, nequando illorum causa nascantur factiones, quæ distrahant agmina; multò nobis Italis sapientiores, qui tot Regulis subiecti, exteris nationibus in nos audendi ansam damus; in reliquis nil nisi commune nouere, quem attulerint cibum, non separatim, sed simul vescuntur: maximè præuidentes, inæqualitatem cibi, inæqualitatem operis, & amissionem temporis secuturam: itaque edaces odio persequentes, proturbant; cùm terrarum olim Principes non puduerit, Tiberium ad dignitatem, ad magistratus promouere, qui duos dies, totidémque noctes bibendo continuasset: Maximinum verò, qui Alexandro Mammeæ successit, non tam alios manducones, atque bibones spectare, quàm semet inexplebili ingluuiei addicere; quadraginta libras carnis, & (vt quidam) sexaginta cœnare solitum, amphoram vini bibere, toto interim sudante corpore, qui sudor colligeretur calice, impleueritque fœtidi Imperatoris, an suis? vno die collectus sextarios tres: edaciorem propemodum Albinum, qui Imperio poti-

tus eſt in Gallia, centum perſica, denos pepones Hoſtienſes, quingentas ficus paſſarias, quadringenta oſtrea vna deuorare cœna: & his humani generis opprobriis, & ſingularibus edacitatis monſtris, quantumuis vorax, & inſatiabile brutum nullum animal anteponemus; nec tamen eſt cur magnopere miremur, cùm in vtroque genere belluarum nulla ſit, quæ expletâ ſaturitate cibum vlteriùs appetat; hominum perpauci, quos non gula ſæpiùs, quàm gladius conficiat. Summâ porrò æquitate diuiſa inter ſe officia habent; aliæ ſtationes ad portas, & excubias agunt, adoleſcentiores aliæ flores deferunt, aliæ venientes exonerant, aliæ cibum portant, aut aquam ore; ſeniores intus operantur, ſtruunt, poliunt, ſuggerunt: & quâ obſecro, prudentiâ opus conficiunt, binos circa ſingulos arcus limites linquentes, quibus alia exeant via, & ne ruat cera, pilis quibuſdam fulciunt, aditum ad ſarciendum dimittentes. Rurſus, ne promptum ſit, quod inuitet furem; tres primos verſus inanes ſtruunt, reliquos à ſuſpicione remotos melle replent: quin

priùs, quàm mellificare cœperint, amarioribus ſuccis alueos illinunt, quaſi tectorio quodam aduerſus cæterarum beſtiolarum auiditatem: ſingularíque munditiâ moliuntur omnia, ne qua ſpurcities inter opera iaceat, & ne excrementorum causâ longiùs abeuntes, opera intermittant, in vnum congerunt, quæ turbidis diebus, & operis ocio egerant: tanta temporis parcitas! ſolus omnium immunis Rex, ſatellitum, atque lictorum turbâ munitus, circuit opera exhortanti ſimilis, ceſſantes caſtigat, non inertiæ ſolùm notâ, verùm etiam mortis pœnâ; non quòd aculeo vnquam vtatur, ſed aliis imperat, ſolâ ipſe maieſtate verendus: fucos primos in opera impellit: qui ſunt ab emeritis inchoatæ apes, & idcirco ſolæ aculeo carentes; his plebs pro ſeruis vtitur, tardantes ſine vlla clementia punit, & cùm mella matureſcere cœperint, tanquam ad mellificandum inutiles abigi iubet, multæque ſingulas aggreſſæ trucidant, non tamen maiori impietatis crimine, quàm M. ille Cato cenſurâ nobilis, qui ſeruum domi natum ad ſenium vergentem, vbi inutilis eſſe cœperat,

vendi præcipiebat; aut nostræ ætatis Principes, qui, quorum fideli opera vsi fuerint, infructuosos redditos fastidiunt, & ingrati abiiciunt; nam si largior mellis prouentus speretur, non modò non expellunt, verùm etiam alunt, domos illis ædificant, cæterum minimas, vt seruis, nam sibi satis decentes. Regibus amplas in parte aluei, & plusquam magnificas. Quàm prudens etiam illarum, quæ gerunt, consideratio; vt secundos captent flatus, & si procella cooriatur, lapillos pedibus apprehendentes se librant: aut si vehementior ingruerit aura, abiectis floribus vti leuioribus, lapillos in humeros imponunt, consumptisque in proximo floribus, ad vlteriora pabula speculatores mittunt. Quid cùm aduesperascit? vt minus, minúsque strepunt: donec vna, ceu buccinâ canens circumuolet, quietem capere imperans, eodémque rursus gemino, aut triplici bombo à nocturna quiete ad diurnum laborem excitat. Quòd si venti aut imbres immineant; futuræ tempestatis præsciæ, se tectis continent: in expeditionemituræ, noctu supinæ excubant, alas à

rore protegentes : ne in volatu deficiant : certandi quoque peritæ, deficiente cibo, necessitati consulturæ, in proximos alueos impetum faciunt; illæ contrà dirigunt agmen ; instruúntque aduersas acies duo summi Imperatores. Age, quæ charitas inter ipsas ægrotantes? nam, ne quid quod hominis sit, illis desit; suapte natura sentiunt morbos , ante fores ad solis teporem promouent , promotis cibum ministrant, defunctas progerunt, funerantiúmque more exequias comitantur. Qui porrò probati mores ? redolentes vnguenta sic infestant, vt nihil magis , mollitiem nimirum , atque luxuriam quorundam taxantes, quos nomine ciere pudet , pigétque; qui si audissent saltem Triumuiros illos Romani nominis proscriptores, an proditores, L. Plotium absoluisse , L. Plotij bis Consulis , & Censoris fratrem , in Salernitana latebrâ vnguenti odore proditum , indignum iudicantes, in quem ciuili sanguine madentes aculeos stringerent , qui suo dedecore penitus periisset; desinerent forsan alienam voluptatem tanti mercari. Singula si

ponderemus, haud ambigo, quin vt hominem paruum mundum, sic apem paruum hominem nuncupemus: immò aliquid homine maius, quando nullus adeò perfectus, in quem ad vnguem cadant, quæ de apibus retulimus: vnde fit, vt minimè mirer fuisse, qui amore capti, integram ætatem illis vixerint. Et fuerat medius fidius hæc dixisse satis, ni verear dubitaturum te, eundem rationis intellectum reliquis insectis non itidem inesse: addam perpauca. Aduertisne quàm moderato vngue, quàm tenaci, & quàm æquali filo Aranea deducat stamina? quâ arte scutulato rete celet pedicas ad captandas muscas? demus hæc (si placet) naturæ; demus, quemadmodum lanigeram ventris fœcunditatem damus, sic cribratam pexitatem telæ, sic artis polituram, totam denique tenacis textrinæ rationem; laxus afflatus ad non respuenda, quæ veniant, tum sinus prætentos, derelicto laxo summa parte, vt coniicere liceat: quæ difficilè cernuntur. Quantâ rursus architecturâ specus concameratio, & vt lineis offensæ muscæ præcipitentur in sinus: demus, si libet, naturæ

omnia, quæ ſic agere docuerit: at non naturæ, ſed rationis opus, præuidere futuros ventos, venturam hyemem: & parare, vt remotior ſit à medio, ſit villoſior, atque fortior non modò irrumpentibus ventis, ſed etiam puluerum mole degrauante: quo rurſus aſtu operatur, aliud agenti ſimilis: vt intus ſit, necne, cerni non poſſit, quum verò captum inciderit: quàm vigilans, ad prædam; licèt extrema hæreat plaga, ſemper in medium currit, vt concutiendo magis implicet. Quàm porrò indefeſſa fœmina; ſciſſa protinus reficit, ad polituram ſarciens; nam, ne fortè putes adhuc caſu, non conſilio hæc ab ipſis agi; ſcito, vt inter apes, ſic inter araneas diſpertita officia eſſe: primum omnium inter ſe coniugia ineunt; fœmina quæ minoris eſt audaciæ, domi reſidet, & (quod mulierum eſt proprium) telam texit: fortior, & audacior mas venatur, inſidiatur, obtruncat, non minori ſpectaculo, præſertim, quum lacertarum catulos venantur, & inuoluentes tela vtraque labia mordicus apprehendunt; quàm quæ à cane aduerſus leonem, & elephantum auſa

diximus. Meditere præterea quæ à natura dantur, doctore non indigere, ipsæ verò vt inter sese exerceant, & seniores iunioribus monstrent longitudinem fili inter duas arbores ducere à summo ad imum, & sæpiùs reducendo artem exercere; quódque homini perdifficile, vt agnoscentes futura amnium incrementa, telas altiùs tollant, est operæpretium aduertere. Dant nimirum egregium documentum, cur non tantum nobis arrogemus, in plurimis virtutum operibus, adeò paruis animalibus cedentes; & his præcipuè, qui non regio sanguine sati, sed cæcutientis fortunæ suffragiis sublati, se terrenos deos esse putant, difficiles præbentes aditus; delicatas accommodantes aures, contumeliosa ingeminantes verba, & reliqua: quæ recordari, nedum recensere fugit animus: qui si meditentur secum qui sint, qui fuerint, agnoscent minimis omnium Formicis prudentiâ cedere; cùm illæ cibos condant suæ duntaxat necessitati suffecturos: quando scilicet intemperie, atque sæuitiâ hyemis, nullibi locorum reperiuntur: at hi opes emungunt, non necessitati consulturi, sed in-

explebilem auaritiam, quam extinguere non valent, expleturi. Iisdem Formicis animalia cuncta robore cedunt, onera grandiora quàm sint ipsæ trahentibus: in quibus condendis quâ ratione, quâ sapientia vtantur, obsecro perpende; grana terræ credita, ne in segetem erumpant, arrodunt: duarum rerum gnaræ, sata oriri, & violata minimè renasci; sciunt & tertium, aqua mollita facilè corrumpi; idcirco si imbre madefieri contingat, ad Solē summâ diligentiâ exponunt: Quid? quum maiora ad introitum diuidunt? qui labor, quæ sedulitas; & quoniam ex diuerso conuehūnt, altera alterius ignara; quæ illa non naturæ instinctu, sed rationis intellectu data prudentia, vt certi dies veluti nundinæ, ad recognoscendum dentur, quod vnaquæque attulerit, & quæ tunc quàm diligens concursatio, & quædam cum obuiis collocutio, atque percontatio; silices mehercle earum itinere atteruntur: ne ambigamus quid qualibet in re possit quantulacunque sedulitas. In summa, ne vlla in re nobis cedat animatus puluisculus; sepulturæ etiam curam gerunt, videbísque defunctas, modò ab vna, modò à duabus

efferri ; quod honori , non necessitati tribui credendum. Ad hæc subridens Cardinalis, si tantum, inquit, rationis intellectum brutis animalibus largiris, quid obstat, quin (quod Plutarchus dubitat) etiam Dei cognitionem concedas? Non sum, inquam, adeò rerum imperitus, adeò mei ipsius ignarus, quin non intelligam iocari te, non seriò dicere : Largiar ego belluis, quod homini absque miserantis Dei gratia cognitu est impossibile? declarant hoc tot summorum alioqui sapientum delirantes sententiæ, quibus quanto sapientior Simonides, qui ab Hierone interrogatus quid esset Deus, diem deliberandi postulauit, postridie quæsitus, biduum petiuit, cúmque dierum sæpiùs duplicaret numerum, admiranti, & causam quærenti Hieroni respondisse fertur : quia quanto magis considero, tanto res obscurior videtur. Sapientissimè quidem, non enim humana paruitas ad illam excelsam Maiestatem accedere valet, sui solius ingenij viribus freta, quanto minus belluina : veruntamen aliud est cognoscere, aliud sentire : sentiunt etiam ina-

nimata ſibi aduerſantia, vt ignem, ligna, & contrahuntur: ſentiunt ſata, vt braſſicas, vites, & recedunt: ſentiunt pari modo propitia, & amplexantur; non agnoſcunt Deum animalia bruta: at ſentiunt eſſe, & contremiſcunt, eíque benedicere trium puerorum cantico iubentur; cui ſententiæ ſic aſtipulor, vt doctiorum opinionem ſequar. Tradit Hieronymus, ſacer, nedum probatus auctor, properanti ad Paulum Eremitam Antonio, inter ſaxoſam vallem occurriſſe homunculum aduncis naribus, cornuta fronte, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes deſineret, palmarúmque fructus ad viaticum obtuliſſe: ſciſcitanti quis eſſet, reſpondiſſe vnum ex accolis eremi, quos errore deluſa mortalitas Faunos, Satyróſque vocans veneraretur: gregis ſui legatione fungi, rogare, vt pro ſe communem Deum deprecaretur, quem pro ſalute mundi veniſſe cognouiſſent; non hic inter homines magis numerabitur, quàm illa hominum effigies, & imitatrix Simia, & Deum tamen eſſe non ſolùm ſentiebat, verùm etiam quòd foret humanitatem indutus, ag-

noſcere videbatur : niſi fortè in ſolamen, id beato ſeni optimus, & clementiſſimus Deus dederit, quod in ſequentibus feciſſe clariùs conſtat. Si quidem defuncto Paulo, aſſidenti Antonio, & mœrenti quòd non ad fodiendum cadaueri ſepulturam, aliquid haberet, ex interiori eremi parte aduenisſe duos leones, qui ſcalperent humum vngulis ; mox effoſſa cadaueris capaci foſſa, ad Antonium perrexiſſe, aurium, & caudæ blando motu manus, pedéſque lingentes; quibus benedictionem à ſe poſtulare animaduertentem, Deo deuotum ſenem in Chriſti laudem effuſum, quòd muta quoque animalia Deum eſſe ſentirent, dixiſſe; Domine, ſine cuius nutu ne folium quidem arbori defluit : da illis, ſicut tu ſcis ; & manu, vt abirent, imperaſſe. Cernis ſanctiſſimorum hominum teſtimoniis animalia bruta Deum eſſe ſentire, quod & antè Eſaïas, diuino afflatus ſpiritu dixerat ; non tamen Antonius benedixit, gnarus non egere benedictione, ſed da illis, ait, ſicut tu noſti. Video me amplum æquor ingredi, & confido diuinâ afflante aurâ, in ſalutis portum

euasurum. Elephantorum greges perhibentur in Mauritaniæ saltibus ad Anulum amnem descendere, noua crescente Luna, & aquâ resperſos salutato sydere in sua reuerti. Quid aliud dicere possumus, quàm Elephantos, qui rationis intellectu, consensu omnium, homini proximè accedunt, sub illius syderis cultu Deum omnium opificem venerari? quippe qui non id confuso dierum ordine faciunt, sed nouâ tantùm Lunâ, veluti tunc à Deo missâ; neque verò salutare audent sordibus inquinati, quales nos homines: qui flagitiis obruti, homicidiis cruenti, omnis generis scelerum spurcitie fœdi, omnipotentis Dei templa ingredimur. Attende & hunc per aquam purificandi ritum, quo Deo Creatori nostro coniungimur; diuinam bonitatem sic mentibus nostris infudisse, naturæ quodam instinctu, vt nulla tam barbara gens sit, tam idolis dedita, tam veræ religionis inimica, quæ non crediderit aquæ aspersione à criminum nexibus liberari.

Tu genitor cape sacra manu, patrióſque penates

Me bello è tanto digressum, & cæde recenti,
Attrectare nefas: donec me flumine viuo
Abluero.

Hæc dicendi mihi, & Cardinali forsan audiendi fesso, finem fecerunt allatæ litteræ eorum, quæ iam tum in Cæsarem moliebatur Gallorum Rex. Et quoniam alia ex aliis serendo, non ampliùs in illos de belluis sermones recidimus; non multóque pòst vir ille, ob eximiam probitatem immortalitate dignus, extinctus est; tótque & talia secuta sunt, quæ terram, mare, cœlum confunderent, approbaréntque opinionem meam, sæpe animalia bruta ratione vti meliùs homine: libet nonnulla, quæ in tali re dicenda supererant, tecum potissimum differere, Illustrissime Princeps, qui prudentia, & probitate Auunculo quondam tuo par, eruditione, reliquarúmque virtutum in Principe expetendarum splendore sic radias, vt qui te in Cardinalem elegit: consuluisse dici possit nauiculæ Petri; inter procellas, naufragium subituræ, nisi tui similium ope, in salutis portum deducatur. L. Apuleius vn-

guento magico delibutus, nequiens humanam formam recipere, nisi roseâ coronâ è Sacerdotis manu decerptâ, septies antè mergit flumini caput, Pythagoricum dogma secutus. Nata in Sabinis boue eximiâ magnitudine, & specie, cecinerant vates cuius vrbis ciues eam Dianæ immolassent, ibi imperium fore, peruenerat ad Antistitem Dianæ fatidicum carmen; quare ductâ ad sacrificium boue, quid, ait Romanus, paras incestum sacrificium Dianæ facere? quin viuo priùs perfunderis flumine. Vides veram lucem in tenebris luxisse, coactósque malos Dæmones vellent nollent, futuri baptismatis gratiam nunciare: vnde ex poëtis, qui diuino (vt ait Plato) furore correpti, ventura sæpe vaticinantur.

O nimium faciles: qui tristia crimina cædis
Tolli fluminea posse putatis aquâ.

Videlicet monens, alia nos quàm pura fluminis aquâ egere. Quòd si mali Dæmones omnium, quæ à Deo creata sunt, infelicissimi, atque miserrimi, hoc diuinâ cogente Maiestate docuere; cur mirabimur à belluis documentum sum-

ptum? Operatur multa optimi Dei clementia ad vſum, & futuram ſalutem noſtram: quid enim fluminis ablutione indigent Elephanti; quorum animæ cum corpore pariter intereunt? Idem (ſi quæris) de duobus equis fatebor, quorum, pietatem erga matrem, & matris erga filium verecundiam in damnato coïtu fugiendo, viuenti Auunculo tuo expoſui; non enim dicam conſcientiæ ſtimulis agitatos, ſe peſſundediſſe, ſed interfuiſſe aliquem, qui abominandum inceſtum aut admiſerit, aut admittere geſtierit, deterrere voluiſſe Deum à tanto ſcelere, vt ſecum ipſe meditaretur, ſi tanta pudoris, tanta conſcientiæ patrati criminis vis ineſſet brutis animalibus: quid ſibi homini faciundum foret. Eadem ratione docuere Elephanti, quanta religio iureiurando inſit: quando nulla alia vi ad transfretandum cogi poſſunt. Quid? cùm moles illas infeſtant morbi, & ſupini per herbas ſuſpiciunt cœlum: nónne ſentiunt Deum eſſe? nóſque monent, vt ægritudine capti, aut aliâ calamitate oppreſſi, Deum vt nos liberet, precemur. In Ægypto iuxta Copton oppi-

oppidum, initio veris Hirundines muniunt insulam Isidi dicatam, ne laceret fluuius; paleáque & stramine firmant continuatis per triduum noctibus, tanto labore, vt multas in opere mori constet, eáque militia illis cum anno redit: an censes aliud agere, quàm vt nos doceant quâ cura, quo studio nobis sit inuigilandum, vt delubra Deo condamus? & condita seruemus? Huic virtuti proxima est innocentia, & quæ in homine tanta, quanta in Vulture? nihil vescitur ex iis, quæ serunt homines, aut plantant, aut alunt: nihil prorsus lædit, nedum interficit, solis ex cadaueribus escam sibi quærit: Cui volucri, qui cum Pythagora insaniunt, doctoris sui animam infusam credere possunt, quando id erat sapientiæ principium animantibus parcere, tot alios cibos tellure nobis suggerente: Adde (quod est summi philosophi) diuinationem volucri datam, vt biduo atque triduo antè volet, vbi cadauera futura sint. Innocentiæ veluti magister est metus pœnæ. Solent in Africa crucifigere leones, si qui deprehendantur vrbes obsidere, quod in senectâ faciunt: quo-

niam ad persequendas feras vires non suppetunt; cuius pœnæ metu, licèt vrgeat fames, desinunt: & nos ab Agrippina Colonia Duram versus equitantes, in illa vasta sylua, vidimus duos catligatos lupos, non secus quàm duos latrones furcæ suspensos: quo similis pœnæ formidine à maleficio reliqui deterreantur. At inter homines quotidiè reperiuntur, quibus ob admissa furta tergus virgis cæsum, abscissæ auriculæ, signatæ genæ, truncata altera manus, erutus oculus, nec adhuc à furtis se continere possunt, donec laqueus vitæ finis extiterit. Verumenimuerò quid de his plura congerere opus? eruditi Ægyptij non temerè omne fermè bestiarum genus consecrauerunt, non omnino vano consilio perpendentes, quantum nos homines belluis debeamus, quæ earum rerum quibus vitæ nostræ cursus indiget, inuentrices fuere. Estne quicquam iucundius, aut vtilius, vel diligentiore studio magis curandum, quàm salubritas corporis? venam tundere monstrauit Hippopotamus, assiduâ quippe satietate obesus, in littus egreditur, & fractarum

arundinum acumina ſpeculatus, acutiſſimo cuique ſtipiti corpus imprimit, venam quandam in crure vulnerans: quam exonerato ſanguinis profluuio corpore, limo obducit. Vrſi, quum eorum oculi hebetantur, fauos expetunt, vt vulnerati ab opibus oris exhauſtus ſanguis, leuet oculorum grauedinem. Canes, quum languentem ſtomachum ſentiunt, gramen vorant, quo vomitu excito ab ea ſe nauſea liberent. Hirundines notabili munditiâ egerentes pullorum excrementa, adultiores circumagi docent, & foràs ſaturitatem emittere. Clyſteriis vti docuit Ibis in Ægypto, in orbe noſtro Ciconia, per poſticum roſtro ventrem proluendo: ad laxandos ventres herbam Aron monſtrauere Vrſi: at Seſelim Ceruæ, qua faciliore partu vterentur: Hirundines oſtenderunt Chelidoniam viſui ſaluberrimam. Neque verò miremur tot & talia à belluis didiciſſe, cùm ipſæ belluæ in medendo ſibi peritiores ſæpenumero ſint, quàm qui inter nos medendi artem profitentur. Vulnerati Cerui paſtu Dictamni ſagittas eiiciunt: iidem percuſſi à Phalangio

cancros edendo sibi auxiliantur: Testudo cunila vires aduersùs serpentes refouet: Mustella in dimicatione cum muribus, rutâ vtitur: Ciconia Origano; hedera Apri, & cancris præcipuè mari eiectis, in morbis sibi medentur: Angues hyberno situ obductam corpori membranam fœniculo exuunt, nitidíque vernant: iidem hybernâ latebrâ obscurato visu marathro oculos inungunt: Draco vernam nauseam syluestris lactucæ succo restringit: Panthera aduersùs aconitum, quo sagittis inunctis barbari venantur, hominis excrementis opitulatur sibi: Elephas Chamæleonte imprudenter deuorato, quia frondis concolor fit, occurrit oleastro: Vrsi quum Mandragoræ mala degustauere, formicas lambunt: Cerui herba Cinara venenatis pabulis resistunt, occisóque Chamæleonte, qui etiam victori nocet, lauro virus extinguunt: Palumbes, graculi, merulæ, perdices lauro purgant annuum fastidium: Columbæ, turtures, gallinacei helxine herba: Anates, cæterçque aquaticæ syderite: Grues pallustri iunco; hæc (si placet) naturæ munera non agnoscimus ipsi nisi ab illis longa experientia edocti. Ars medendi,

cui vitæ nostræ salus innititur, ex agnitione Simplicium & Lunæ statu procul dubio pendet. Hanc vtranque disciplinam paruipendunt egregij seculi nostri Medici; quin sic contemnunt auiditate lucri, & in ægritudines nostras grassandi potiùs, quàm consulendi studio, dum nulla lex punit homicidam medicum: vt asserere possim audisse me, qui se aliquid in hac arte esse putarent, de plenilunio futuro differentes postridie quàm sydus coiisset. Simplicium verò scientiam sic abiecere; vt non modò, quæ animalia bruta docuerunt, ignorent; verùm etiam totam relinquant Pharmacopolis, indoctissimo nempe hominum generi: qui quicquid somniauerint, pro comperto habent. Muliercularum insuper (si Deo placet) imperitiam per maiorum os traditam sequentes, nostris nimirum periculis discunt, pérque nostras mortes agunt experimenta; & nos interim meritò plectimur; dum indoctissimo cuique medicum se profitenti extemplo credimus. Quas per Deum immortalem gratias habet vita vestra, Andreæ Mathiolo Senensi, qui Cornicum, quod aiunt, oculos transfixit do-

ctissimo illo opere, quod tibi, nominique tuo dicatum in Dioscoridem edidit; effecit profecto vt medicos imperitiæ suæ pudeat, pigeátque, Pharmacopolas temerarij ausus miscendi ex ignotis, & sæpenumero ex contrariis, quæ in iugulum nostrum redundent. Sunt & in his tempestatum aërisque præsagia; quæ non à nobis belluæ, sed nos à belluis didicimus: Delphini tranquillo mari lasciuientes ventum ex qua venturus sit parte portendunt. Conchæ adhærescentes, loligines volitantes, echini affligentes sese, aut arena saburrantes, mergi maria, & stagna fugientes, grues in mediterranea festinantes, futuram tempestatem denunciant: ranæ vltra solitum vocales, fulicæ matutino clangore strepentes, mergi, anates pennas rostro purgantes, ventum portendunt: idem Corui singultu quodam latrantes, séque concutientes, si continuabunt; quòd si resorbuerint, ventosum imbrem; Graculi à pabulo sero recedentes hyemem, & albæ aues quum congregabuntur, & quum terrestres volucres contra aquam clangores dabunt, perfundentes sese,

& præcipuè cornix, atque hirundo iuxta aquam volitans; quæque in arboribus habitant, in ſuos nidos fugientes, anſeres intempeſtiuo clangore, ardea in media arena triſtis. Neque verò tempeſtatem tantùm, ſed etiam futuram ſerenitatem præuident: quemadmodum Delphini aquam ſpargentes, atque turbantes, Grues per ſublime volantes, & aliæ aues: quas perſequi immenſi eſt operis. Neque rurſus aues tantùm, verùm etiam quadrupedes aëris mutationem præſagiunt: exultantes, & indecora laſciuia ludentes pecudes; cœlum olfactantes boues, ſéque aſſiduè lambentes; quid ampliùs quærimus? immundi ſues manipulos fœni lacerantes; formicæ ſegniter, & contra ſolitam induſtriam clandeſtinè concurſantes, aut progerentes oua; vermes denique terreni erumpentes. Quis hanc obſecro, cœli obſeruationem, ventorum, imbrium, ſerenitatis præſagia naturali inſtinctu fieri dicat? cùm videat non eadem via incedere omnia, ſed alia aliis data, vt ſunt, quæ ſtudio, & doctrina comparantur. Adde quod norunt aduerſus ea ſibi conſulere. Mures

venturam ruinam præuidentes demigrant; Sciuri qua ſpiraturus eſt ventus, cauernam obturant, & alia ex parte aditum aperiunt; hi noſtri nocturni vigiles Gallinacei, nónne ſyderum gnari ternas interdiu diſtinguunt horas? quare minimè mirum, ſi diuini prorſus homines illi Cœli interpretes, & rerum naturæ capaces, aſtris ipſis belluarum nomina impoſuerunt, Arietem, Taurum, Cancrum, Leonem, Scorpium, Capricornum, Piſces vocitando. Neque rurſus mirandum, ſi ſtellarum curſus peritæ, magicis etiam artibus pollere belluæ quædam traduntur; Hyæna quodcunq; luſtrauerit animal, è veſtigio hæret; Picus Martius clauum vel cuneum quanta libuerit vi adactum arbori, in qua nidificauerit, quum primùm inſederit, magno cum arboris crepitu eximit: ſunt, qui hoc ignoto gramini aſcribant, vtrumuis fuerit, admiratione dignum hoc præſcire, & intelligere auem: ſapit porrò neſcio quid magiæ, quod gallinæ faciunt, quum ouo edito inhorreſcentes ſe concutiunt, & circumactæ purificant ſe & oua feſtuca luſtrant. Nauigandi porrò peritiam, quæ

ab aſtris pendet, ſiue remis, ſiue linteo, oſtendit Nauplius animal ſepiæ haud diſſimile; tranquillo mari ſe in concham condit, acatij modo carinatam inflexa puppe, roſtrata prora, palmulis, vt remis æquor feriens, & ſi inuitet aura, eaſdem in vſum gubernaculi porrigens, nulla alia ſocietatis ratione, quàm voluptatis, vt vehat illa, hic vt vehatur; ludos nempe ſibi facientes ex ſtultis, & periculoſis vitæ noſtræ deſideriis; nam gubernandi artem docuere miluij caudæ flexibus aëra ſulcantes; nauium moles ne in latus inclinent, monſtrauere grues atque ciconiæ, tranſuolaturæ pontum ſaburra, aut alio onere ſe librantes: eædem grues ductandi exercitus magiſtræ fuere, eligunt ducem, quem ſequantur, altè volant ad proſpiciendum, pérque vices diſpoſitos habent in extremo agmine, qui acclament, & qui gregem voce contineant: excubias ſeruant nocturnis temporibus, vigiles lapillum pede ſuſtinent, vt ſi fortè ſomno laſſatis deciderit, excitentur: Ciconiæ ſeuerioris diſciplinæ magiſtræ, quum in vnum crepitantes congregantur, quæ nouiſſimè aduene-

rit, eius damnata segnitie communi consensu lacerant: excitari buccina docuerunt apes: quanquam tota earum vita multiplex & varia vitæ nostræ instructio existit: Olissyponensium quoque legatio ad id missa, Tiberio Cæsari nunciauit auditum Tritonem concha canere. Duci obtemperandi innumera sunt exempla, quorum aliqua recitata non opus est repetere; aduersus hostem armari docuerunt Ichneumones, & Apri; illi cum serpentibus dimicaturi, se limo sæpiùs inuoluentes, Sole siccantes, pluribúsque coriis se munientes; hi libidine stimulante, limo pariter, & arborum attritu tergus durantes; insidias struere, Hyæna, Crocuta, Mantichora, vulpes, feles; debitum vltionis modum non excedere, leones: qui vulnus intulerit, correptum lacerant: qui sine vulnere percusserit, duntaxat sternunt: si ad vlciscendum vires non suppetant, irrisum inimicum dimittere docuit Anthus, quæ parua auis equorum interuentu à pabulo pulsa, eorum hinnitus imitata, ceu deridens abit: venturæ senectutis & futuræ necessitatis admonent formi-



cæ incredibili ſedulitate condentes æſtate, quæ ſufficiant hyeme: vt ſenectutem veneremur, Elephanti monuere ſeniorem eligentes, qui agmen ducat, ætate proximum, qui claudat: vt mulieres caſtitatem colant, turtures, columbæ, cornices: vt verò domeſtica curent, viri ad bella, ad negocia prodeant, araneæ: mutuæ ſocietatis monuere pinna & ſquilla communicato conſilio piſciculos venantes: cum externis etiam conuenire, Delphini, præcipuè in Narbonenſi prouincia, & Nemauſenſi ſtagno, aduentante mugilum turba, cum incolis ſocietate inita: operariis debitam mercedem ſoluere, lupi piſces apud Mæotidem, qui niſi iuſtam portionem à piſcatoribus acceperint, expanſa lacerant retia. Ac ne quæ in homine reperiuntur, ſingula belluis accepta referamus: docuerunt, ſi inter nos diſſenſerimus, vt ſunt mobiles, varij, & nunquam ſuo contenti humani animi, odia deponere, concordiam inire, & ſe inuicem tueri: ne à fortioribus opprimamur: & videmus turpiſſimos, ab omníque prudentiæ ſenſu reliquis brutis alieniores ſues, qua charitate, quo

feruore ad opitulandum sibi conueniant, vnius si grunnitum audierint, facto repentè globo in auxilium vnanimes currunt; confer, quæso, nos homines cum brutis animalibus; & postquam sic lubet, cum suibus brutis. Obiit Maximilianus Cæsar; qui non paternis nec auitis opibus, sed propria virtute pondus & Maiestatem Romani Imperij sustinuit. Surrexit extemplo
* * * * * * *
* * * * * * *

Verùm qui habitat in cælis irridebit eos, & si non sanauerit dissipabit eos. Nos autem gloriemur in hoc Pontifice Paulo III. cui Deus mentem aperuit, vt ea optaret quæ Reipublicæ eius salutaria futura sunt. gloriemur in hoc Cæsare, sub cuius Imperio sperare possumus propediem cernere Turcam victum, profligatum, occisione occisum. Gloriemur denique, qui sub florente Republica Veneta, nullius liuoris, nullius dissensionis conscia ardente reliqua Italia bello securi coniugum, liberorum, fortunarum nostrarum læti viuere possumus. Datum in Portu Naonis Calend. Augusti MDXLIIII.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

VOTI *mei fuiſſet Libellum hunc minimè in lucem emittere, niſi Notis illuſtratum, quas in ipſum pene confectas habebat clariſſimus Naudæus. Verùm quoniam propter ſuum in Italiam diſceſſum, abſoluere illas tempeſtiuè non potuit, vt primæ iſtius editioni inſeruirent, cauebo impoſterum, ne ſi denuò recudatur, commentariis illis apprime doctis & elaboratis deſtituare.*



